BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 K
1/17

12
20
b
25

STEPHANI GORMELENI CVRIOSOLITÆ PARIſienſis Medici, Synopſeos Chirurgiæ libri Sex.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LVTETIÆ,

Apud Ægidium Gorbinum, ſub inſigni Spei, è regione Collegij Cameracenſis.

M. D. LXVI.

12 19 K 17

AD GENEROSISSIMVM

PRINCIPEM SEBASTIA-*num de Luxembourg, Martigææ Comitem, Equitem Torquatum, & Britanniæ Celticæ Proregem, Steph. Gormelen Britanni, Curioſolitæ, in Chirurgiæ Synopſin,*

PRÆFATIO.

EX artibus quas induſtrij & ſolertes homines ad vitæ vtilitatem excogitarunt (generoſiſs. Princeps) nulla eſt Medicina iucundior, nulla magis communis, nulla ad priuatos & publicos vſus magis neceſſaria:

Chiron & Æſculapius medicinæ inuentores.

adeo vt Chirona Centaurum, & Æſculapium, quòd hanc ſalutarem artẽ primò inuenerint, rudis antiquitas vt beneficiis excellentes viros, in cœlum fama ac voluntate ſuſtulerit. Huius verò artis & gloriæ hæredes Æſculapius ipſe, Podalyrium

Podalyrius.

Machaon.

& Machaonem filios reliquit: qui ob inſignem medicinæ peritiam, ad bellum Troianum euocati, & Agamemnonem Ducem ſecuti, nõ mediocrem opem comilitonibus ſuis, ferro, & medicamentis vulneribus medendo, attulerunt. Ex iis autem

Hippocrates medicinam ab ſtudio ſapientiæ primò ſeparauit. vt ait Celſ.

longo pòſt tempore, ductæ familiæ cùm hanc diſciplinã à ſtudio ſapientię ſeparaſsẽt, medicina quoq; in tres partes diducta fuit, vt vna eſſet quæ

Chirurgiæ deſinitio ex Gal. in lib. 1. Hipp. de ratione vict. acutorum.

victu, altera quę medicamẽtis, tertia quę per conſuetas tũ ſectiones, tum aduſtiones, & quæcũque alia manu

ſiunt plus mederetur. Hæc, quum & vetuſtiſſima eſſet, & curandi certitudine illas ſuperaret, profeſſores illuſtriſſimos habuit, à quibus dum diligenter excoleretur, χειρουργικὴ dicta fuit. Verùm quum barbaries communis diſciplinarum calamitas, & Græciam, & Italiam inuaſiſſet, artem etiam hanc non ſine vitæ hominum iactura miſerè labefactauit, ab eo namque tempore ad homines naturæ cognitionis expertes, qui eam ad quæſtum proſtituerunt, neſcio quo fato fuit amandata: Ita vt hi ferè ſoli Chirurgiam adhuc exerceant, & impudenter ſibi factitandam aſſumant: quorum arrogantia non antè profectò reprimetur, quàm Medici cum docendo tum exercendo, deformatam & ita profanatam hanc artem à turpi illa

Celſ. in proœmio lib. 7.

Quando Chirurgia ad illiteratos homines fuit amandata.

ſeruitute in libertatem vindicent. Quòd fœliciter à permultis quos nunc imitari decreuimus, tentatum eſt: quorum veſtigia conſectantes de iis omnibus morbis qui manus auxilium magis requirunt, id eſt, de tumoribus præter naturam, de vulneribus & vlceribus, Item de oſſium fractura, luxatione & vitio, ita ex veterum Medicorum placitis diſputabimus, vt Chirurgicas leges ferè omnes longè latéque apud veteres Medicos diffuſas (annotatis vnde eas deſumemus ad marginem locis) breui ſynopſi ob oculos ponamus. Quod opuſculum (illuſtriſſime Princeps) tibi qui in grauiſſimis etiam occupationibus leuiora non ſoles aſpernari, fretus tua humanitate, veluti Deo tutelari, conſecrare nō dubitauimus. Si enim ſum-

De quibus morbis hoc lib. diſputatur.

mi quondam exercituum duces & imperatores, chirurgos ad ſe aduocare ſolebant, tu certè qui à clariſſimorum Cæſarum (quorum ſplendor in te relucet) familia originem ducis, Chirurgicę artis patrocinium vt opinor, libenter ſuſcipies, permittéſque, vt perbreues has lucubrationes, Britannię proregi, Britannus dedicet. Vale. Pariſiis Nonis Iulij 1566.

HEXASTICON LECTORI
PER F. LE PICARD CALET.

Hippocratem ſcripſiſſe ferunt, artíſque medendi,
Cum iam nulla foret, perdocuiße vias.
Tu verò authoris ſi dogmata noueris huius,
Ante illum, dices, ars ea nulla fuit.
Si ſimul authoris mores & dogmata noris:
Hippocrates, dices verius, alter adeſt.

AD LECTOREM
Henricus Blacuodæus Scotus.

Quid ſpectas molem? lege, perlege, paruus & author,
Magnus at ingenio maxima quæque docet.
Quicquid apollinei ſcriptores tempora in iſta
Mandarunt: nouit, qui tibi prodit opus.

Idem ad eundem.

Tu qui Gormelenum coles laborem,
Tu qui Gormeleam ſequêris artem:
Eius conſilio fruêre quiſquis,
Magnus (crede mihi) breui futurus.
Nam quod Græcia docta vendicare
Doctrina potuit, ſibi parauit.
Et quod nullus Arabs ſit aſſecutus
Praxi: ſolus eam ſecutus ipſe eſt.

AD LECTOREM Th. Tigeou. Andeg.

Excolit humanas mentes ars quæque, ſed vna
Præ reliquis ſplendet, quæ docet eſſe deum.
Hanc peperit nobis Medicinam ſorte trimembrem
Phœbus, in hoc rutilans dogmate Gourmeleo.
Quo Cous breuitate parens, ratione Galenus,
Eloquio Celſus, vel ſuperatur Arabs.
Ergo Deus cupiens fieri artibus hunc lege librum,
(Lector amice) manu qui medicare docet.

STEPH. GORMELENI Curioſolitæ, Pariſienſis Medici, Synopſeos Chirurgiæ Lib. I.
De Tumoribus præter naturam.

QVID ſit tumor præter naturam.

Ὄγκος, id eſt tumor præter naturã (qui ab Hipp.& veteribus οἴδημα dicitur, vt pluribus locis notauit Galenus) eſt conſtitutio totius corporis, aut aliquarum eius partium, naturalem quantitatem cum qualitatis mutatione excedens: qui ſi ad tãtam magnitudinem attollatur vt ob hanc actio impediatur, morbus cenſeri debet, alioqui vel ſymptoma, vel pathema duntaxat.

Com. in Aph. 2.& 18. Sect. 1. In Aph. 12. Sect. 3. in Aph. . ſect. 4. lib. 6. epid. In Aph. 34. lib. 4. & 65. lib. 5. Aphor. In Aph. 21. lib. 4. de ratione vict. in morb. acut.

Cap. 2. lib. 3. de ſympt. cauſis. Lib. de tumoribus præter naturam. & cap. 1. lib. 13. meth.

Cap. 12. de diff. morb.

Quòd Arabes apoſtematis nomine tumorem præter naturã intelligant.

Arabes tumorem præter naturam (quatenus morbus eſt) apoſtema appellant, quum tamen ἀπόστημα eam tumoris ſpeciem qui abſceſſus dicitur, ſignificet: aſſerúntque, duce Auicenna, apoſtema id eſt (vt volunt) tumorem prẹter naturam morbum eſſe compoſitum ex intemperie, mala compoſitione, & vnitatis ſolutione, ſeruata vniuſcuiuſque horum morborum forma perfecta, ita vt in vna eadémque parte ſenſibili, tria hęc morborum genera reperiantur. Quæ deſcriptio ab Hippocratis & Galeni ſententia aliena non eſt, potiſſimũ quum à materia calida, tumor ortum habuerit.

Cap. 5. doct. 1. fen. 2. lib. 1. can.

Vt colligere licet ex part. 34. lib. 3. de fract. Aph. 47. lib. 2. Aph. Aph. 1. lib. 2. de rat. vict. acut. Cap. 8. li. 13. meth. cap. 12. li. de diff. morb.

De Tumorum præter naturam differentiis.

- *Tumorum præter naturã differentiæ, quæ ad eorũ dignotionem & curationis rationem inſtituendam cõferunt ſumuntur vt plurimum à*
  - *Quantitate, vt*
    - *Magni.*
    - *Mediocres.*
    - *Parui.*
  - *Qualitatibus primis, vt*
    - *Calidi.*
    - *Frigidi.*
  - *Subſtantiæ modo, vt*
    - *Molles.*
    - *Duri.*
  - *Symptomatis, vt à*
    - *Calore vnde dicuntur*
      - *Albi.*
      - *Nigri.*
      - *Flaui.*
      - *Liuidi.*
      - *Rubri.*
    - *Dolore, ob quẽ dicũtur*
      - *Dolentes.*
      - *Doloris expertes.*
  - *Partibus affectis, vt*
    - *Ophtalmia.*
    - *Peripneumonia.*
    - *Pleuritis.*
  - *Materia à qua nominantur*
    - *Sanguinei.*
    - *Bilioſi.*
    - *Pituitoſi, ad quos*
      - *Aquoſi,*
      - *Flatuoſi,*
      - } *referuntur.*
    - *Melancholici.*

Quoniam verò vt ait Galenus, omnium tumorum qui prçter naturā ſunt, varietas, ex eius quod influit natura naſcitur, ideo pro varietate materiæ tumorem committentis varia tumorum genera in hac diſputatione (facilioris doctrinæ gratia) ſtatuentur.

Cap.4. lib. 13. meth.

Tumorum varietatē ex materiæ natura naſci.

De tumorum materia.

MAteria autem tumorum apud Galenum quadruplex eſt, nempe ſanguis, bilis flaua, pituita, & ſuccus melancholicus. ex quibus, quatuor vulgares tumores, nempe phlegmone, eryſipelas, œdema, & ſcirrhus oriuntur. Ad quos etiam quatuor humores aliorum omnium præter naturam tumorum materiam reuocari veteres medici voluerunt: propterea quòd eorum cuiuſpiam, quiuis tumor ſemper magis particeps ſit: atque ob id propter analogiam quandā pro humorum naturalium numero & primarum qualitatum coniugationibus, tumores omnes ad quatuor capita reduxerunt: quorum veſtigiis inſiſtentes tumores inſigniores ad eaſdem quatuor claſſes reuocabimus.

Tumorum materia.

Lib. de tumoribus præter naturam & cap.5. de curat. per ſang. miſſionem.

Cap.4. lib. 13. meth.

Quare omnes tumores ad quatuor capita reuocentur.

De hac re copioſe Gal cap.6. de cauſis morb.

De tumorum cauſis efficientibus.

EFficiens tumorum cauſa aut fluxio eſt, aut congeſtio. Eſt autem fluxio humorum in corpore motus ad aliquam partem quæ propter eorundem quātitatem aut qualitatem aut ſimul vtrāque, eos ſine ſui læſione recipere nō poteſt.

Quid fluxio.

Cap.5.& 6.li. 13.Meth. Fluxionis cauſæ.

Fit autē fluxio à
- *Totius corporis*
  - *Plenitudine.*
  - *Cacochymia.*
- *Partis mittentis*
  - *Robore.*
  - *Connexu.*
  - *cum recipiente.*
- *Partis recipientis*
  - *Naturali imbecilitate.*
  - *Raritate.*
  - *Situ inferiore.*
  - *Calore ab*
    - *Immodico motu,*
    - *Igni,*
    - *Sole,*
    - *Medicamento acri.*
  - *Dolore ab*
    - *Intemperie.*
    - *Ictu vel morſu venenatorum.*
    - *Medicamēto*
      - *Refrigerante.*
      - *Calefaciente.*
    - *Ambiente aere.*
    - *Vulnere.*
    - *Vlcere.*
    - *Contuſione.*
    - *Diſtorſione.*
    - *Tenſione.*
    - *Obſtructione.*
    - *Flatu.*
- *Humoris*
  - *Tenuitate.*
  - *Alio modo ad fluxum propenſione.*

Quid congeſtio.

Cap. vlt. lib. 2 de diff. febr. & ca. 7. de curat. per ſang. miſsionem. & com. Aph. 2. ſect. 4. lib. 6. epidi.

Altera tumoris efficiens cauſa congeſtio eſt, ex Galeni ſententia. Congeſtio verò excrementorum tertiæ coctionis in parte aliqua collectio eſt: propter ipſius facultatis expultricis imbecillitatem, quæ maior fieri poteſt accedente facultatis alteratricis errore.

De tumorum ſignis.

COgnitis tumorum cauſis, de ſignis quibus eorum naturam, ſpeciem, ſtatúmque præſentem dignoſcamus, & tandem futurum eorundem exitum ſiue conuerſionẽ deprehendere poſſimus neceſſariò eſt differendum: quum curationis principium ex ipſius morbi naturæ cognitione maximè pendeat. Tumores igitur aut in occultis partibus ſunt, aut in apertis & externis. Qui in occultis oriuntur, ex perfecta membrorũ cognitione maximè deprehenduntur, de quibus dicere nunc non inſtituimus. At in apparentibus partibus tumorẽ eſſe ex collatione partis tumentis cum ſeipſa naturali ſtatu & diſpoſitione prædita cuique deprehendere promptum eſt.

Tumorum ſigna dignoſtica.

Cap. 6. lib. 10. Meth. cap. 7. li. 2. Meth.

Ad finem cap. 1. lib. 2. ad Glau.

Species & natura tumoris cognoſcitur ex partis tumentis colore, calore, frigore, duritie, mollitie, dolore, tenſione renixu, morſu, & ex flexionis periodo. Color enim ſimilis effloreſcit humoribus, niſi intro receſſerint, qui ſi ſubalbidus fuerit pituitam, ſi nigricans ſuccum melancholicum: ſi rubeus, ſanguinem: ſi flauus aut ſubpallidus, bilem flauam aut pallidam tumoris materiam eſſe oſtendit. Calor præterea ſanguinẽ aut bilem flauam, aut humorem aliquem putrantem vel aduſtum ſubeſſe indicat; quemadmodũ frigus, aut pituitam, aut aquoſos humores, aut flatus, aut ſuccum melancholicum, aut concretos & induratos humores. Durities verò cum dolore phlegmonẽ ſine dolore ſcirrhum ſignificat. Mollities autem ſine dolore œdematis nota eſt.

Species tumoris vnde cognoſcitur.

Cap. 4. lib. 14. Meth. & ad finem lib. 6. com. phar. loc.

Com. in Aph. 2. lib. 1. Aph.

Com. in Aph. 33. lib. 1. Prognoſt.

Com. in aph. 38. lib. 1. Prognoſt.

Tenſio & renixus magnam in parte flatus vel humoris repletionẽ oſtendunt, ſicut mordicatio, humoris tumorem committentis acrimoniam.

Fluxionis etiam periodus, & exacerbatio tumoris, eius materiam, atque adeo naturam & ſpeciem indicabunt. Nam matutino tempore, ſicuti & vere, ſanguis: meridie vt & æſtate, bilis flaua: veſperi quemadmodũ & autumno, ſuccus melancholicus: noctu non minùs quàm hyeme, pituita mouetur. Ita enim partes diei cum anni partibus, quãtum ad humorum motum pertinet, proportionẽ habere exiſtimant Hip. & Galenus.

Com. in aph. 15. Sect. 1. libr. 6. epid.

Alexander Aphrod. proble. 74. lib. 2.

Tumorum ſigna prognoſtica.

Vide Hipp. & Gal. aph. 1. ſect. 3. lib. 1. epid.

lib. de inæquali intemperie.

Futurum tumorum exitum aut conuerſionem ex ipſorum differentia, ex materiæ benignitate, aut malitia: tenuitate, aut craſſitie: caliditate, aut frigiditate, & ſimilibus qualitatibus, item ex partis affectę natura, robore, & imbecillitate, totiúſque corporis omnimoda diſpoſitione, maximè deprehendemus. Hinc enim fit, vt tumores niſi in principio fieri prohibeantur, variis modis terminentur: alij per digeſtionẽ, reſoluto per inſenſilem tranſpirationem omnino humore qui ad partem affectam defluxerat: alij per ſuppurationem, quorũ materia coquitur, id eſt ſuppuratur, & in capacitatem conuenientem abſcedit: alij reſoluta tenuiore tãtùm humoris parte in ſcirrhoſam diſpoſitionem tranſeunt. Alij multò adhuc deteriores ſunt, in quibus partes à fluxione ſuperantur, & ad tantam intemperiem deueniunt, vt & earum actio omnino pereat, & ipſæ gangręna corripiantur.

Cap. 6. lib. 5. ſimpli. cap. 5. lib. 2. ad Glauc. & ca. 4. lib. 14. meth.

Lib. de inæquali intemperie.

Tumores maligni.

Alij denique omnium peſſimi, qui maligni di-

cuntur,repente euaneſcunt & regrediuntur, eorum materia propter malignam aliquam qualitatem,ad interiores & nobiliores partes delata: periculo enim pleni ſunt morborũ trãſitus ab ignobilioribus & exterioribus ad partes nobiliores & interiores,quos tumoris ſubita imminutio & ingraueſcentia ſymptomata indicabunt.

Com.in aph.65. lib.5.aph. Com.in aph.31. Sect. 2. lib. 6. epid. cõ.in aph. 25.lib.6. aph.

Tumorum tempora.

Ad hæc tum ad διάγνωσιν tum ad πρόγνωσιν, plurimùm conſiderare iuuat tumorum ipſorum tempora, id eſt, principium, augmentum, ſtatum, & declinationem: quanuis nihil niſi ex accidenti ex eis coniiciamus. Ob id enim Galenus propoſito phlegmones exemplo, aliorum tumorum tempora, per quæ illorũ dſpoſitio immutatur,inueſtigare docet.

Cap.3.lib.de totius morb.temp. & cap.1.de morborum temporibus. Cap.1.de totius morb.temp. Cap. 4. lib. 4. meth.

Tumoris præter naturam vniuerſalis curatio.

TVmor præter naturam aut adhuc fit,aut iam factus eſt: illius autem duplex eſt indicatio, altera præcautio,fluxionem prohibens, & altera curatio, quod in parte eſt vacuans.

Tumoris curatio. *Cap.2.lib.13. meth.*

Quoniam cauſarum remotio fluxionem inhibet, ſi propter totius corporis plenitudinem humor fluxerit,ipſam venæ ſectione ſi vires & aliæ indicationes permiſerint,item frictionibus,balneis,exercitatione,vnctionibus digerentibus,inedia tollemus: Cacochymiam verò conuenienti purgatione. At ſi propter partis recipientis imbecillitatem fluxio excitata fuerit, ipſam partem

Quomodo fluxio inhibetur. *Cap.4.5. & 6. lib.13. meth. Cap.9.de curat. per ſang.miß.*

confirmabimus. Si propter eiuſdem ſitũ inferiorem, ægri corpus arte ita collocabitur, vt pars affecta, ſi fieri poteſt ſuperiorem locum teneat, & dolore careat. Si propter dolorem, eum anodynis propriè dictis, vel epiceraſticis, vel narcoticis ſedabimus. Si calor fluxionem excitauerit ipſum refrigerantibus mitigabimus.

Cap. 3. lib. 5. meth.
Cap. 19. lib. 5. ſimplic.
Cap. 6. & 22. lib. 3. meth.

Humoris tenuitas ſumptis & admotis vt craſſeſcat efficiemus: eiuſdem verò impetum modis omnibus auertemus, nunc in contrarium reuellendo venæ ſectione, ſcarificatione, cucurbitulis, corniculis, hirudinibus, vinculis frictionibus: nunc verò ad partes vicinas per communes venas deriuando.

Cap. 6. lib. 13. meth.
Cap. 6. lib. 4. meth.

Altera indicatio quæ vacuare docet, & in tumore qui adhuc fit, quatenus eius aliquid iam factum eſt, & in eo qui omnino factus eſt locum habet: nam quod in loco aliquo præter naturam continetur, ſui ablationem primo indicat: quo fit vt vacuata materia tumorem committente, tumor curetur. Vacuationem verò arte duobus modis moliemur: Priore quidem humorem ad alias partes transferendo repellentibus, à quibus tamen diligenter cauendum eſt, vbi materia in glandulis quæ pone aures, in axillis, vel inguinibus ſunt, contenta fuerit. In tumore venenato & maligno. In tumore critico. Suſpectus eſt etiam repellentium vſus, vbi pletoricum corpus fuerit. Item in tumore ſupramodum dolente, aut principibus partib⁹ vicino. In tumore à craſſa & contumace materia genito.

Cap. 3. 4. & 5. lib. 14. meth.
Com. in aph. 35. lib. 1. prognoſtic.
Vacuatio in tumoribus duplex.
Cap. 6. & 9. lib. 13. & cap. 3. lib. 14. meth.
In quibus tumoribus vſus repellentum ſuſpectus.

Altero modo vacuamus, materiam foras edu-

cendo digerentibus, ſuctu, ſectione, ſcarificatione, cucurbitulis & ſimilibus.

In vtroque autem vacuationis genere, ad tumoris ipſius materiei quantitatem & qualitaté, atque ad partis affectæ naturam attendere oportet. Alio enim modo tumores ſanguineos tractabimus, alio eos qui aut bilis flauæ, aut pituitæ, aut ſucci melancholici, aut alterius materiei ſoboles ſint.

Tumorum etiam curationes, pro inſtrumentorum patientium natura mutantur, partium verò naturæ nomine earum temperamentum, conformationem ſubſtátiæ modum, ſitum, virtutem & vſum cum Galeno intelligimus. *Tumoris curatio varia, pro naturæ partis varietate.* *Cap. 2. lib. 2. ad Glauc. & cap. 9. lib. 13. Meth. & cap. 7. lib. 4. me.*

Temperamentum quidem partes humidiores vt carnem & grandulas minus exiccandas eſſe indicat: ſicciores verò vt nerui, ligaméta, cartilagines, & oſſa, magis. eodé modo de cæteris partibus aliis temperamentis ſimplicibus aut compoſitis præditis, ſuo natiuo temperamento reſtituendis ſenties. Nam priuſquam ad propriam naturam particula redeat, nondum curationi impoſitum eſſe finem eſt arbitrandum. *Cap. 13. lib. 7. Meth.*

Formationem etiam ſpectare oportet ex qua alias partes intra ſe, alias extra, alias vtraque parte, alias neutra, cauitates & ſpacia habere: item alias raras eſſe & ad fluxiones recipiendas paratas: alias verò denſas diſcimus. Ex qua conformationis varietate, & modi & vehementiæ medicamenti diuerſitatem facilè coniicere licebit. *Cap. 2. lib. 2. ad Glauconem.*

Situs in connexu partium, & in earundem inter ſe vaſorum communione, atque in meatuum *Cap. 13. lib. 7. Meth.*

ad expurgãda excreméta cõueniẽtia cõſideratur, à quo ſumpta indicatio nõ eſt negligenda: quum ea maximè doceat, per quæ & quomodo debeat fieri vacuatio, ſiue ad contrarias partes per communes venas modis omnibus reuellendo, ſiue ad proximas per ductus etiam communes deriuãdo, ſiue alio quopiam vacuationis genere vti velimus vt copioſè demonſtrat Gal. lib. 2. ad Glauc.

Virtus etiam partis ad quam & ipſius vſum & ſenſum reducit Galenus, plurimum curationem euariat. Quum enim inter multiplices corporis noſtri partes, aliæ principes ſint, vt cerebrum, cor, hepar, quarum virtus per neruos arterias & venas toti corpori diſtribuitur: aliæ ſint adeò neceſſariæ, vt ſine earum actione vita diu ſubſiſtere non poſſit, vt ventriculus: aliæ ſenſum exquiſitum habeant, vt oculus, ſtomachus: cauendum eſt ne eiuſmodi partibus (ſiue propter virtutem, ſiue propter actionẽ neceſſariæ fuerint, ſiue ſenſum exquiſitum habuerint) ea medicamenta admoueamus, quæ immoderatè laxant, & reſoluunt, aut ſupra modum refrigerant, aut extraneam vel venenatam qualitatẽ habeant.

Cap. 9. artis parua.

Quibus partibus laxantia & reſoluẽtia medic. noceant.

De phlegmone & eius curatione.

Cap. 1 lib. 4. meth.

QVoniam non ſolùm generalem curationẽ nouiſſe, ſed etiam in ſingulis exercitatum eſſe oportet, propterea quòd cuique morborum ſpeciei ſua ſit curandi ratio: ideo de ſingulorum tumorum ſpeciali magis curatione breuiter diſſeremus, ab ipſa phlegmone incipientes, quòd

& ſæpius fiat,& plures habeat differētias,ex quibus ſubinde febres contingere ſolent.

Phlegmone autē apud Hippocratem & alios veteres omnem calidam & ardentem affectionē ſignificabat,etiam ſi abſq; tumore fuiſſet:à temporibus verò Eraſiſtrati ſignificare cepit eum tumorem præter naturam, qui fit à ſanguine extra venas etiam minimas ad partis cauitates inſenſiles exiliente,& ipſam partem diſtendente, cum rubedine, calore,dolore,pulſu, tenſione & renixu; cuius cauſa efficiens fluxio eſt,ab externis vel internis,manifeſtis vel occultis cauſis excitata.

Phlegmones tempora (quoniam pro eorum varietate varia illi remedia admouere oportet) ante omnia diſtinguenda ſunt: ea à Galeno quatuor ſtatuuntur, principium nempe, quo pars ſanguine repletur. Augmentum, deinde quum fluxus ceſſauerit,quod verò influxit, incaleſcens & putreſcens fuſionem & vaporoſum ſpiritum excitando, partem magis quàm antea diſtenderit,etiam ſi nihil influat. Vigor dum pus fit tum enim dolores ac febres fiunt magis.

Cum tandem pus digeritur,tumor verò,tenſio, calor,& reliqua ſymptomata imminuuntur, declinatio appellatur.

Recentiores medici ad quatuor veluti capita totam phlegmones curationem reuocarunt, ad victus rationē, ad fluentis humoris inhibitionē, ad iam fluxi vacuationem, & ad emendationem ſymptomatum,quę aliquando tam ſæua ſuperueniunt,vt omnem medentis ſolicitudinē ad ſe neglecto etiam morbo conuertant.

Cap.1.lib.2. ad Glauc. & cap. 1. lib. 14. meth.

Quid phlegmone apud Hipp.& veteres.

Com. in aph.1. Sect. 4. lib. 6. epid. & com. in aph. 65. lib. 5. aph.

Lib.de inæquali intemperie.

Cap.1.lib.2. ad Glauc. & cap. 1.lib.13.meth.

Ætius cap. 31. Ser. 2. lib. 4.

Phlegmones tempora.

Cap.3.lib. de totius morb.temporibus.

Ætius cap. 31. Ser. 2. lib. 4.

Aph. 47. lib. 2.

Curatio phlegmones ex recentiorum ſententia.

Guydo. & Tagau.

Cap.1. lib.12. meth.

Victus ratio in phlegmone. Victus ratio in phlegmone frigida ſemper erit, debet enim morbo (qui calidus eſt) repugnare, quod ſi febris affuerit, modicè etiam humidus erit victus. Victus autem rationis nomine ſex rerum non naturalium vſum cum ipſo Galeno intelligo. *Cap. 9. lib. 8. meth. Com. in aph. 9. Sect. 3. lib. 3. epid.*

Fluxionis auerſio. Fluxio auertetur ſi eius cauſas auferamus, plenitudinem & cacochymiam venæ ſectione & conuenienti purgatione tollendo: partem recipientem imbecilliorẽ roborando, calefactum refrigerando, eius dolorẽ mitigando, meatuum laxitatem aſtringendo: humoris fluentis impetum venæ ſectione è directo partis dolentis, cucurbitulis admotis, frictionibus & vinculis ad partes oppoſitas reuellendo. *Cap. 6. & 11. lib. 13. meth.*

Vacuatio autem qua propriè phlegmonem curamus, pro variis eius temporibus, medicamentis varia facultate præditis fit, vt ſæpe monuit Galenus. Nam in principio aſtringentibus & repellentibus (cognita partis natura) phlegmones materiam regeremus) vt ſpongia exycrato imbuta, ſi circa artus inflammatio fuerit: cataplaſmate ex ſemperuiuo, malicorio in vino coctis, ſumach & polenta parato: conueniunt & panniculi in oui albumine roſaceo & aqua roſ. immerſi, & inflammatæ parti ſubinde admoti. repellunt etiam ſtratiotes in aquis naſcens, plantago, polygonum & ſimilia. *Com. in aph. 15. lib. 1. prognoſticon. Cap. 9. & 16. lib. 3. ſimplic.. cap. 6. lib. 1. comp. ph. 9. Cap. 12. lib. 13. meth. Cap. 2. lib. 2. ad Glauc. Ætius cap. 31. Ser. 2. lib. 4.*

Increſcenti phlegmone, quoniam & repellere & leuiter digerere tum oportet, roſaceum optimum eſt remedium: confert & cataplaſma ex maluæ & abſinthij foliis, ex roſis, farina hordei, *Cap. 16. lib. 3. ſimplic.*

& oleo chamæmelino paratum. Iuuat & linimentum ex ſapa,aqua roſ.aceto & croco.

In ſtatu,oleum ipſum cõuenit, vel malua cum modico pane & roſaceo illita.valet etiam & melilotũ cum pane in paſſo decoctum,& admotũ. Item palmulæ in paſſo elixatæ cùm pane & roſaceo ſubactæ & admotæ. Iuuat & cataplaſma ex melle & mica panis in aqua calenti macerata. *Cap. 16. lib. 3. ſimplic. & Ætius vbi ſupra.*

In declinatione, quoniam valenter diſcutere conuenit malua agreſtis pollet. valent & paſſulæ acinis exemptis cum pane & modico mellis miſtæ. Item hordei farina cum oleo & melle:lana ſuccida,& ſimilia.

Et propter hanc medicamentorum in curanda phlegmone, varietatem, qui primi ad inflãmationes medicamenta compoſuerunt vt ait Galenus, meritò varia materia opus habuerũt, quum & influentem ſubſtãtiam repellere neceſſarium exiſtimaſſent, & impactam attenuare, concoquere & diſcutere, partémque affectã roborare. *Particula 10. cap. 1. lib. 2. cõp. ph. loc.*

Symptomata medicum curantem interpellentia ſunt, dolor: materiæ ad internas partes regreſſus: ſcirrhoſa diſpoſitio,& partis corruptio. *Symptomatũ emendatio.*

Dolorem anodynis ſic ſedamus. oleum roſ. paſſum, & ceram cum vtroque liquatã, lana ſuccida excipimus quam parti dolẽti admouemus. Ex oleo roſ.ouorum luteis,pauco croco, & mica panis in aqua aut lacte calenti macerata,anodynum cataplaſma ſæpe paramus. Valet & malua in aqua cocta miſtis furfure,croco, oleo, roſ.aut violaceo. Quòd ſi doloris magnitudo, horum & ſimilium vires contempſerit,narcoti-

cis cautè vtemur, vt hyoſciami foliis recentibus ſub calidis cineribus coctis & axungiæ recenti miſtis.

Cap. 6. lib. 13. meth.
Lib. 1. de metavia chirurg.

Materiæ verſus principes partes regreſſum impediemus medicamentis attrahentibus tumori admotis, cucurbitulis, corniculis, ſuctu, & ſimilibus. de quibus accuratè Hollerius diſſeruit.

Scirrhoſam verò diſpoſitionem temollientibus & leuiter digerentibus (de quibus capite de ſcirrho) tollemus. Putredinem autem ſcarificationibus profundis, item emplaſtro ex erui & fabarum farinis in oxymelite coctis, arcebimus.

Cap. 10. lib. 9. meth.

At omnino putrefactam partem (quia à natura aliena eſt) amputabimus, de qua re paulò pòſt vbi de gangręna agemus dicetur.

De phlegmones in abſceſſum tranſitu & eius curatione.

Cap. 7. lib. 2. ad Glauc.
Abſceſſus.
Cap. 12. lib. 14. meth.

Ἀπόστημα, id eſt, abſceſſus generaliter tumorem omnem ſignificat in quo corpora quæ ſe prius contingebant à ſe inuicem abſcedunt, inter quæ ſinus eſt, quo ſubſtãtia aliqua cõtinetur. Abſceſſus ſpecies plures ſunt, vna quidem ea cuius generationem inflammatio pręcedit, de qua nunc agemus. Aliæ eius ſpecies nulla præcedente inflammatione fiunt vt atheromata, ſteatomata, melicerides & ſimiles de quibus nũc nihil dicemus.

Lib. de inæquali intemperie.

Inflammatio porrò, cuius materia omnino reſolui non potuit, natura tamen nondum à fluxione victa, in abſceſſum propriè dictum dege-

nerare ſolet,reſidua tumoris materia in pus conuerſa, & in ſpacio aliquo collecta. Futuram eiuſmodi ſuppurationem indicabunt, igneus loci feruor, eminens tumor, magíſq; rubidus & durus, cum dolore punctorio, febre, aliquando pulſu, & grauitate, vt aliquid ex particula ſuſpenſum eſſe videatur. Cùm enim hæc apparuerint, ita vt nulla reſoluendi ſpes relicta fuerit, à reſoluentibus ad ſuppurantia tranſeundum erit: ſeruata interim conuenienti victu. Statim igitur aqua temperatè calida, aut oleo calido, aut hydreleo partem fouere conueniet: aut cataplaſma ex farina triticea, quæ in hydreleo mediocriter ebullierit eidẽ admouere, vel ex pane mediocriter cocto, & hydreleo conſperſo. Confert & adeps ſuillus, vitulinus, anſerinus, gallinaceus, item tetrapharmacum, butyrum inſulſum. Factum autem pus ſic deprehendemus, dolor, febris (ſi præceſſerit) rubor, pulſus & reliqua ſymptomata, minora apparent, tumor in mucronem faſtigiatur, & pus innixis digitis ſublabitur, præſertim cum ſumma occupat.

Paul. cap. 17. lib. 4.
Com. in aph. 47. lib. 2.
Cap. 7. lib. 2. ad Glauc.
Cap. 8. lib. 5. ſimplic. aph. 22. lib. 5.
Suppurati abſceſſus ſigna.
Paul. 34 lib. 6.

Quòd ſi vomica facto purè ſua ſponte nõ rumpatur, ferro, igne, vel medicamentis eſt aperienda, alioqui ſerpit ſanies, cuniculos facit, & vicina corpora depaſcitur. Ferro ſic aperietur, ſcalpellus ea parte adigendus vbi mollior, digitis ſuccumbit, & faſtigium erigit, in parte decliuiore, qua ſanies commodius expurgetur: cauendo ne totum pus aut ſanies repente exhauriatur, ſi maior vomica fuerit. Rectum verò an tranſuerſum vel obliquum vulnus fieri debeat, indicabũt par-

Quomodo vomica aperiẽtur.
Cap. 5. lib. 13. meth.
Aph. 27. lib. 6.
Auicenna cap. 26. Fen 4. lib. 1.

tium figura & flexus, rugæ cutis, muſculorum villi, arteriæ, venæ, nerui, tendines, & alia ſubiecta corpora. Videndum etiam vt quantum oporteat cultrum aut candens ferrum deſcendat.

Celſ. cap. 2. lib. 7.

Quę vomicam aperiunt.

Quòd ſi ægri mollities neque ferrum, neque ignem ſuſtineat, ea admouebuntur quæ vomicas aperiunt vt theriaca, vrticæ ſemen, è vino tritum: caules braſſicæ cum radice cremati triti & cum vetere axungia excepti: oſtreorum teſtæ vſtæ: lac ficulneum tithymalorum ſuccus, vini fex vſta, puluis cantaridum, & ſimilia: hæc tamen tandiu parti relinquenda ſunt, quoad aperiant, non cruſtam inducant.

Ex Hollerio cap. 1. lib. 2. de mater. Chirurg.

Aperta vomica quid agendum.

Aperta vomica, vlceri purgando linamenta ex contortis linteis decerpta conueniunt. nonnulli primis diebus oui vitello, alumine inſpiſſato vtũtur: alij vitellis ouorum, paucum roſaceum admiſcent, deinde poſt tres dies melle roſ. colato aut ſyrupo roſ. vtũtur, vel mundificatiuo ex apio. Et in contumaciori, vnguento apoſtolorum: vel vel Ægiptiaco. Detenſo iam vlceri mel roſ. & terebẽtina, admiſta thuris myrrhæ & aloës pauca quantitate, admouent, & tandem cicatricem inducunt.

De gangræna & eius curatione.

Quid Gangręna.

Cap. 10. lib. 2. ad Glauc. cap. 2. lib. 2. loc. aff. com. in aph. 50. lib. 7.

CVM inflammatio neque diſcutitur, neque ſuppuratur, neque regreditur, in Gangrænam tranſire ſolet. Eſt autem gangræna mortificatio partis nondum integra: quæ fit vt plurimum ex inflammationis magnitudine, aut quia tempera-

temperamentum, & qui illud comitatur ſpiritus corrumpatur, aut propter ſpirituum ne ad partē perueniant interceptionem, aut propter vtrūque ſimul: ídque vel ab externis cauſis, vt vinculis, veneno, venenatis telis, medicamētis erodentibus, humidis, frigidis, frigore externo: vel ab īternis, vt à partis repletione, obſtructione, ingēti inflāmatione. Vnde & incœpta mortificatio, quomodocunque fiat, gangræna etiam dicitur. *Auicenna cap. 15. tract. 1. fen 3. li. 4.*

Gangrænam indicant, partis liuiditas, aut nigrities, rubore inflammationis euaneſcente, item doloris ex torpore ſenſus imminutus. *Com. in aph. 17. lib. 4. de articulis.*

Partem ob inflāmationis magnitudinem gangræna correptam (præſcripta victus ratione tenui & refrigetante, & medicamentis cardiacis exhibitis, locóque etiam prius, bolo armena & terra ſigillata, aceto diſſolutis, in ambitu illito) profundis & frequentibus ſectionibus ſcarificabimus, ſanguinémq; copioſè manare permittētes, locum deinde aqua ſalſa abluemus, & medicamentum ex oxymelite vel ſyrupo acetoſo admiſta erui, vel lolij, vel fabarum, vel lupinorum farina, eidē admouebimus. Aceto mulſo calente, in quo lupini decocti fuerint, affectam partem bis in die lauabimus. Remittente verò morbi furia, Ægyptiaco vti conueniet. Eſchara vt decidat butyro vel medicamento ex oleo roſ. vitellis ouorum, farina hordei & melle deſpumato illinetur. *Paul. cap. 19. lib. 4. Gal. cap. 10. lib. 2. ad Glauc.* *Tagautius.*

Si hæc nihil profecerint, ad vnicum quod ſupereſt auxilium vt reliquum corpus liberum ſit confugimus, id eſt, ad membri quod emoritur *Celſ. particul. 30. cap. 26. lib. 5.*

Membri corrupti abſciſio. abſciſionem. Expoſito igitur ægri neceſſariis periculo, eius corpore, ſi opus eſt, prius repurgato viribúſq; exploratis, ſoporiferũ aliquod pharmacum illi duabus horis ante ſectionem propinamus: commodè eum collocamus, & vinculis, ſi opus eſt, comprehendimus. Membrum reſecandum, tres digitos ſupra corruptam partem arctiſſimè vincimus, carnem inter ſanam & ægram partem nouacula ad os vſq; abſcindimus, ita vt aliquid potius ex ſana parte auferamus, quàm ex corrupta relinquamus. Deraſo etiam perioſtio os ſerra acutiſſima quam proximè ſanæ carni reſecamus. Cauteria ſectioni admouemus butyro aut ſucco porri cum melle aut ſimilibus eſcharam vt decidat illinemus. Viribus modis omnibus conſulemus, & tandem vulnus vt reliqua vulnera tractabimus.

Ætius cap. 56. Ser. 2. lib. 4.

De carbunculo.

Carbunculus. *Ex Gal. ca. 10. lib. 14. meth. & Celſ. cap. 28. lib. 5. Com. in Aph. 45. lib. 6.*

CArbunculus eſt tumor præter naturam cum vlcere cruſtoſo, combuſto, nigro vel cineritio, & aliquando ſplendente, cúmque tanta partium circunſtantium dolorifica inflammatione, vt & eas eleuet, & febrim excitet. Huius materia eſt, aut ſolus ſanguis craſſus, & ita aduſtus, vt in confinio bilis atræ ſit conſtitutus, aut ſanguis quidem craſſus, fœculentus & aduſtus, ſed qui tenues & ſeroſas humiditates admiſtas habeat.

Carbunculi materia. *Cap. 9. lib. 2. de diff. febrium. Cap. 1. lib. 2. ad Glauc.*

Hic affectus, inquit Galenus, perpetuò malignus eſt, veluti à prauis productus humoribus:

Com. in aph. 23. Sect. 3. li. 3 epid.

rum tamen deterior fit, quando cum natiua malignitate, malignitas ex conſtitutione coniuncta fuerit. *Carbunculus perpetuò malignus.*

Carbunculo laborantes victu tenui, frigido & humido, nutriendi ſunt. eorum cor (non neglectis aliis principibus partibus) ſumptis & admotis roborandum. Sanguis illis è directo & propinquo loco, etiam ad animi defectionem (vt ait Gal.) ſi nihil impedierit, mittendus.

Fluxio nunquam auertenda propter humoris cùm craſſitiem, tùm malignitatem, ne partes in alto corpore reconditæ offendantur. *Cap. 10. lib. 14. meth.*

Tumor in puſtulę ambitu, aut vlcus cruſtoſum, vt alij volunt, plagis altioribus ſcarificatur, aqua ſalſa calente ſectiones abluuntur, cataplaſma ex mica panis αὐτοπύρου, lente cocta, & plantag. admouetur parti. Supra vlcus etiam valens aliquod medicamentum, vt Andronis, Paſionis, Polydæ, vino dulci ad ſordium ſpiſſitudinem ſolutum, imponitur. Ceſſante verò inflammatione, & detracta butyro recenti vel alio conuenienti medicamento eſchara, vlcus ad cicatricem reliquorum vlcerum more perducitur. Valet ad carbunculos, emplaſtrum ex malo punico in aceto cocto. Valet, & conſolida maior, inter duos lapides trita & admota. *Paul. cap. 25. lib. 4.* *Guydo ex Rogerij & Theodorici ſententia.*

De Eryſipelate.

Eryſipelas eſt inflammatio valde ardens circa cutim maximè conſiſtens, & aliquando aliquid ſubiectæ carnis occupans: ex ſanguine ſuſtantia tenui, aut ex ſanguine & bile calidio- *Eryſipelatis deſcriptio deſumpta ex cap. 2. li. 14. meth. cap. 1. lib. 2. ad Glauc.*

lib. de Tumoribus præter naturam. Cō. in aph. 31. lib. 3. de off. med. Paul. cap. 21. li. 4. Oribaſ. cap. 32. lib. 7. Synopſ.
Cap. 2. lib. 14. meth.
Cap. 12. lib. 2. de criſibus. lib. de Tumoribus præter naturā. lib. 7. ſimplic. cap. de Coriandro.
Cap. 5. lib. 2. de diff. Febrium.

tibus quàm oporteat, aut ex bile aquoſæ ſaniei cōmiſta: cum tumore vel exiguo, vel ſæpe (quo ad ſenſū) nullo: cuius color pallidior aut magis flauus eſt, quàm phlegmones, etſi tetigeris facilè ſanguis ſubterfugit, curſúſque illabitur exquiſitè tenuis & aſpectu rubeus. Hanc affectionem bilioſæ fluxionis ſobolem eſſe, pluribus locis docet Galenus, propterea quòd eius materia ad bilis naturam proximè accedat, quāuis ab initio bilis nō ſit, ſed in eius confinio poſita. eodem prorſus modo quo dicimus carbunculū ab atra bile fieri, quòd ex ſanguine craſſo & aduſto fiat, non tamen ita aduſto, vt in atræ bilis naturam exquiſitè tranſierit, ſed quòd in eius confinio ſit conſtitutus. Sic etiam Eryſipelatis materiam bilem flauam, Galenus & cæteri medici autumant, quoties tumorum præter naturam differentias ad humorum analogiam reuocare volunt: quum tamen à bile flaua per ſe ſeparata & exquiſita aliquo decumbente, tumor fieri non poteſt, quin eum ſtatim vlcus comitetur, vt in herpete videre licet. ob id Gal. in legitima tumorum præter naturam diuiſione eryſipelas prætermiſit, quòd in vero eryſipelate non ſemper tumor appareat.

Lib. de tumorib. præter naturam de herpete. Com. in aph. 34. li. 4. Cō. in aph. 2. Sect. 1. lib. 6. epid. cap. 80. artis paruæ.

Galenus in legitima tumorum diuiſione eryſipelas prætermittit.
Cap. 1. lib. 14. meth.

Eryſipelas aut fit, aut factum eſt: eius quod fit abſolutioné impediemus (perinde ac in phlegmone) fluxionem inhibendo, & iam fluxum humorem vacuando. Facti verò curationis vnus eſt ſcopus, quemadmodum & aliorum omnium tumorum, nempe vacuatio, quæ fœlicius ſuccedet, ſi & victum cōuenientem præſcripſerimus,

& noxia ſymptomata emendauerimus. Victus erit frigidus & humidus, cauendo vinum, omnia dulcia, acria, pinguia, iram, exercitationem vehementiorem, aërem calidum, & ſimilia.

Fluxionem auertemus, eius cauſas tollendo (vt in phlegmone) itaque & partis recipientis imbecillitatem roborare, & eiuſdem calorem dolorémque refrigerare & mitigare, & meatuum per quos fit fluxio laxitatem aſtringere, atque humoris impetum ſi plenitudo in corpore fuerit (nam & hæc aliquando etiam Galeno eryſipelatis cauſa exiſtit) per venæ ſectionem, vt rectè Celſus & Paulus voluerunt, vacuando, reuellere conuenit. *Cap. 6. & 11. lib. 13. meth.* Eryſipelas aliquando fit à plenitudine. *Com. in aph. 5. lib. 1.* *Cap. 26. lib. 5.* *Cap. 21. lib. 4.*

Vacuatio autem fiet primò totius corporis medicamento aliquo cholagogo, quamuis aliquando aluum clyſtere ſoluiſſe ſatis erit. Deinde parti dolenti medicamenta cum humiditate refrigerantia (nam & hæc tenuem repellendi vim habent) leuitérque digerentia, ne aut bilis ad princeps aliquod membrum regeratur, aut pars nimium refrigerata liueſcat, ad coloris mutationẽ admouebimus. Ad hoc conueniunt ſolanum, ſemperuinũ, vmbilicus veneris, pſyllium, altercum, lenticula paluſtris, & ſimilia, item vnguentum roſatum, ceratum aliquod refrigerans. *Paul. cap. 21. lib. 4.* *Cap. 17. lib. 14. meth.* *Cap. 3. lib. 14. meth.*

Remittente iam partis inflammatione priuſquam liueſcat, cataplaſma ex hordei farina eſt imponendum. Et ſi liuor iam occupauerit inciſa cute cataplaſma ſuperponendum eſt, locúſque perfundendus aqua calida, ſed & marina aqua & muria interdum cõducent, quin etiam ipſi cata- *Cap. 3. lib. 14. meth.*

plaſmati talis aqua vel acetum, vel acetoſa muria miſcetur. Si Eryſipelas in duritiem conuertetur, vt ſcirrhus erit tractandum. Si verò exulceratum fuerit, vt herpes.

De Herpete.

Cap.1.lib.2. ad Glauc.

VT ex ſanguine puro phlegmone fit, ita ex bile flaua exquiſita herpes: de quo (quamuis inter vlcera potius quàm inter tumores ſit collocandus) aliquid tamen leuiter dicere propter humorum inter ſe familiaritatem operęprecium videtur.

Quid Herpes. *Ex lib. de tumoribus præter naturam, & com. in aph. 45. libr. 6. aph.*

Eſt autem herpes vlcus cum tumore, ſummas cutis partes occupans, à bile exquiſita eò decũbente ortum habens. Eius tres conſtituit ſpecies Galenus, quarum vna fit à tenui bile, quæ cuticulam veluti deurit, & ſimpliciter herpes nomine generis retento dicitur.

Ca.1.lib.2. ad Glauc. Lib. de tumoribus præte na. Lib. 2. prædict. Herpetis tres ſpecies.

Secundum genus fit à bile craſſiore, quę totam cutim ad carnem vſq; exulcerat, ab Hippocrate Herpes depaſcens vocatur. Tertium genus à bile ſatis tenui fit, quæ aliquid pituitæ admiſtum habeat, appellatúrque herpes miliaris, à ſimilitudine quam habet cum granis milij. non enim protinus vlcus facit queadmodum & alij herpetes, ſed admodum exiguas puſtulas ad milij ſpeciem, quæ interpoſito ſpacio in vlcus abeunt.

In herpete eſt vlcus cum tumore.

Cùm igitur in herpete vlcus ſit cũ tumore cõiũctũ, eius curatio ex vtriuſq; affectus remotione, cõiuncta etiam erit, nempe ex fluxionis (ſi adhuc fiat) inhibitione, humoriſq; tumorẽ committẽtis

vacuatione,& mediocri exiccatione. Nã vt tumoris curatio, vacuatio eſt: ita vlceris, mediocris exiccatio. tumori tamen (quoniam vlceris exiccationem impedit) prius eſt ſuccurrendum. In herpete igitur curando, fluxio primò eſt inhibenda, corpus repurgando medicamento cholagogo. In miliari tamen medicamentum, & bilem, & pituitam educere debebit: aliquando tamen ſatis erit aluum leuiter ſoluere, vel vrinas mediocriter mouere.

Cap. 5. lib. 14. meth. com. in aph. 35. lib. 1. prognoſt.
Cap. 5. lib. 4. meth.
Cap. 2. lib. 4. meth.
Cap. 17. lib. 14. meth.

Parti verò affectæ admouenda ſunt quæ & tumoris materiam vacuare leuiter digerendo & aſtringendo, & vlcus exiccare poſſunt. Huiuſmodi ſunt vitis capreoli, folia rubi, rubi canini, arnogloſſum, ídque in principio. poſt hæc verò & lens adiungenda eſt, & aliquando mel, & polẽta, item cataplaſma ex malicorio, ex ſumach in vino decoctis, leuigatis, & admiſta polenta ad cataplaſmatis formam redactis. Victus erit vt in eryſipelate. Symptomatis etiam, ſi quæ curationem interturbent, conuenientibus remediis erit occurrendum.

Oribaſius, cap. 34. lib. 7. ſynopſeos.
Paul. cap. 20. lib. 4.

De ædemate.

A Frigida etiam materia tumores ſæpe fiunt, vt à pituita vera, aut aquoſa & tenui, à flatu vaporoſo, à ſucco melancholico, à craſſis, frigidis & concretis ſuccis, vel per ſe ſeparatim, vel inter ſe miſtis.

Quid œdema.

A pituita quidem, aut ſpiritu vaporoſo tumor excitatur mollis, rarus, laxus, albicãs, doloris ex-

Ex Gal. cap. 4. lib. 14. meth. &

cap. 3. lib. 2. ad Glauc. Paul. cap. 27. lib. 4. Aëtio cap. 1. Serm. 3. lib. 4. Auicenn. cap. 2. tract. 2. fen 3. lib. 4.

pers, ſine calore, etſi prematur, parte foueæ modo cauata, digitis cedit. A Galeno & recentioribus œdema dicitur, quanuis apud Hippocratem multo latiùs pro omni tumore præter naturam œdematis nomen vſurpetur, vt in principio dictum eſt.

Oedema duplex.

Ex com. in aph. 2. Sect. 1. lib. 6. epid. in aph. 12. Sect. 3. eiuſdem lib. com. in aph. 31 lib. 3. de off. med. com. in aph. 65. lib. 5. apho. & in aph. 21. lib. 4 de ratione vict. in morb. acut.

Oedema autem, quatenus tumorem mollem & laxum ſignificat, duplex eſt: aut enim morbus eſt, aut ſymptoma quale eſt quod in pedibus & cruribus corũ quos aqua inter cutẽ, aut phthiſis, aut cachexia vexat, perſæpe videmus.

Cap. 4. lib. 14. meth. & cap. 3. lib. 2. ad Glauc.

Cauſæ œdematis.

Cauſa œdematis eſt aut pituitoſi, ſiue vaporoſi humoris fluxio, aut excrementi pituitoſi vel flatuoſi in parte, propter eiuſdem in coquendo alimento, & in expellendis excrementis imbecillitatem congeſtio.

Signa œdematis.

Signa ipſius œdematis ſunt
- *Tumor*
  - *mollis.*
  - *laxus.*
  - *rarus.*
  - *doloris expers & mitis.*
  - *Digito prementi cauata parte cedens.*
- *Color albicans.*

Quomodo œdema deſinat.

Deſinit œdema
- *Sæpe per digeſtionem.*
- *Raro per ſuppurationem, propter materiæ frigiditatem, niſi in locis calidioribus fiat.*
- *Aliquando in ſcirrhum, aut nodos, aut abceſſus frigidos.*

Oedematis curatio.

Si fluxio propter totius corporis cacochymiam pituitoſam, œdema excitauerit, purgandum erit,

corpus phlegmagogo aliquo. Si verò ab vna tantùm parte fluxio fiat, vt à cerebro verbi gratia, repurgato etiam prius vniuerſo corpore, cerebrum propria vacuatione erit exonerãdũ. Deinde parti affectæ ea quæ repellendi leuiter (ſi adhuc fluxio fiat) digerendi & exiccandi vim habent, admouebũtur. Abundè aliquãdo ſatisfaciet noua ſpongia, quæ in poſca potabili madueri, cum vinculo leuiter ſtringente impoſita, quod ab inferiore parte arctius incipiens, ſuprà paulò laxius finiat. Quod ſi ſub his œdema non ſubſidat, vbi rurſus deligabis, puſillum aluminis coniicies, & nouam ſpongiam iterum puſca magis acida madentem, admouebis. Et ſi nouæ ſpongiæ copia non ſit, veterem detergebis, expurgabiſque nitro, aphronitro, & aqua lixiuia: aut eius loco molliſſimo ellychnio poſca madenti vtaris. Confert etiã ſpongia imbuta puſca in qua cineres & nitrum decoxeris. Accedente ſtatu (quemadmodum & in veteri œdemate) detergentibus magis vti conueniet. vt ſpongia ex lixiuio arctius alligata, parte prius oleo inuncta. Diſcutit etiam laxos tumores iſatis ſatiua. Item ſpongia imbuta lixiuio ex cinere fici, ſarmentorum, vel ilicis. Alii linimento parato ex alumine, ſulphure, myrrha, ſale, roſaceo & aceto vti malunt.

Cap. 2. lib. 2. de com. ph. loc. & cap. 4. lib. 4. meth.

Cap. 4. lib. 14. meth. & cap. 1. lib. 2. ad Glauc.

Auic. cap. 3. tract. 2. fen 3. lib. 4

Paul. cap. 27. lib. 4.

Quod ſi œdema non diſcutiatur, ſed videatur ad ſuppurationem ſe conuertere, & in abſceſſum tranſire velle, vt id quod partes calidiores occupat aliquando facere ſolet, tum ſuppurãtia illi admouenda erunt, & vomica (ſi ſua ſponte pus nõ egrediatur) vt ſuperius dictũ eſt, aperienda. Dein-

Com. in aph. 41. lib. 1. prognoſt.

de vlcus detergetur, & cicatrice obducetur.

At ſi in ſcirrhoſam diſpoſitionem œdema cõuertatur, vt ſcirrhus tractabitur, de quo paulo-poſt dicemus.

Vt licet colligere ex cap. 1. lib. de attenuente victu.

Toto autem curationis tempore attenuante victus ratione erit vtendum, & partes principes, atque eæ maximè quæ coctionibus ſubſeruiunt, erunt roborandæ.

Cap 3 lib. 2. ad Glauc. & cap. 4. lib. 14. meth.

At Oedema, quatenus ſymptoma eſt, nullam ſeorſum propriam curationem requirit. Nam ſatis erit ſi modò curatione egebit, ipſum tumorem perfricare aliâs oxyrhodino, aliâs oleo cum ſale, aut etiam oxyrhodino ſal habente.

De flatuoſo tumore.

Quomodo fiãt flatuoſi tumores.

Cap. 4. lib. 13. meth.

Auic. cap. 2. fen 3. lib. 4. Com. in aph. 21. lib. 4. de ratione vict.

DOcendi ratio poſtulat vt aliquid iã de inflatione dicamus, quũ cognatione quadã œdema & inflatio inter ſe contineantur. Nam ex frigidis & pituitoſis humoribus œdemata fiunt, & ex iiſdem maxima ex parte dum in eos ingenitus calor imbecillior agit, vaporoſus ſpiritus ipſius inflationis materia, excitatur. Adde quòd vt œdema ſine caliditate eſt, ita ſpiritus interclusio nunquam flagrantem affectionem efficit.

Flatuoſus tumor duplex.

Cap. 6. lib. 2. ad Glauc. & com. in aph. 21. lib. 4. de ratione vict. acut.

Cap. 7. lib. 14. meth.

Naſcitur igitur inflatio ex vaporoſo ſpiritu in cauitatibus vel ſenſui expoſitis, vel ratione contemplabilibus collecto. Vnde & duo flatuoſorum tumorum genera conſtituere videtur Galenus. Alterum, quando flatus in ſpacio ſenſibili vt in vẽtriculi, inteſtinorum, peritonei capacitatibus, ſub cute, perioſtio, vel aliis membranis cõ-

tinetur, & huiuſmodi propriè inflatio dicitur: ab œdemate differens, quòd & aliquando dolorem excitet, & preſſa digitis veſtigium non retineat, & ſonitum veluti tympanum plerunque reddat. Alterum genus (quod ad veri œdematis naturam proximè accedit) eſt, quando flatus iis quæ ratione cognoſcuntur ſpaciis comprehenditur, vt quando per muſculorum, aut aliarum partium ſubſtantiam diſſeminatus fuerit.

Paul. cap. 28. lib. 4.

- *Cauſæ potiſſimum in flatuoſo tumore ſpectandæ*
  - *Efficiens, calor natiuus languidior.*
  - *Materialis,*
    - *In ventriculo & inteſtinis*
      - *Humores craſſi & frigidi.*
      - *Cibi frigidiores.*
    - *In cæteris partibus, craſſi, frigidi, & viſcidi humores.*
  - *Adiuuãs,*
    - *Denſitas partium.*
    - *Meatuum*
      - *anguſtia.*
      - *obſtructio.*

Com. in aph. 72. lib. 5. & in aph. 12. Sect. 3. lib. 6. epid. & cap. 6 lib. 2. ad Glau. Oribaſ. cap. 50. li. 7. ſynopſeωn. Cauſæ flatuoſorum tumorum.

Inflationis curatio ex communi indicatione poſita eſt in vacuatione flatus, Cuius vacuandi rationem ex illa triplici cauſarum varietate, deprehendemus. Languentem itaque calorem natiuum roborare, & vaporem craſſum diſcutere, humorémq; frigidum, viſcidum, aut craſſum flatus materiam, attenuare, ipſúmque continens corpus rarefacere conueniet.

Cap. 3. 4. 5. & 7. lib. 14. meth. Curatio. *Com. in aph. 5. Sect. 6. lib. 6. epid.*

Calor vẽtriculi primę coctionis officinę, (cuius

Ad Finem lib. 4. de ſanitate tuenda.

errorẽ ſequentes emẽdare non poſſunt) roboratur aromaticis ſtomachicis,& electuariis ad hoc dicatis, vt Diacymino, Diacalamento, aromatico Garophilato, aromat.roſ. diagalanga, & similibus. Medicamentorum autem quę flatus & craſſos humores diſcutiunt & attenuant, corpúſque rarefaciunt, materiæ vis commutatur, ſecũdum patientium partium differentiam. In ventriculo igitur vel inteſtinis vapor aut flatus contentus diſcutitur oleis caladis & tenuium partiũ (qualia ſunt ea in quibus ruta aut ſimile quid, Item ſemina calida carminatiua vulgo dicta incocta fuerint) nunc admotis, nunc per clyſterem iniectis. Prodeſt & cucurbitula ſine inciſione bis térve medio ventri affixa ſi in inteſtinis flatus fuerit. Quòd ſi in artubus, aut muſculis, aut ſub cute & membranis quæ oſſa inueſtiunt, inflatio fuerit ſine dolore, ſatiſfaciet ſpongia noua imbuta lixiuio, aliâs per ſe, aliâs cum oleo. ad muſculos verò inflatos ſi dolor affuerit in principio lana ſuccida modicè calida, ſapa, vino acerbo & oleo imbuta, admota confert. Increſcente morbo additur & lixiuium.

Cap.6.lib.2.ad Glauc.

Cap.7.lib.14. meth.

Paul. cap.28. lib.4.

De aquoſo tumore.

Quid tumor aquoſus.

AD œdematis etiam naturam propter ſuę materiæ temperamentum, aquoſus tumor proximè accedit. Eſt autem aquoſus tumor, ſeroſi & alieni humoris in parte aliqua corporis præter naturam collectio, cum eiuſdem partis ſecundũ quantitatem exceſſu. Huius cauſæ variæ ſunt, &

Vide lib.2.de facult.natural. & cap.6.lib.5.loc. aff.

eius ſpecies varia ſortiuntur nomina, pro partiũ affectarum varietate. Nam ſi propter hæmatoſeos labefactationem alimentum quo ſingulæ corporis partes nutriri debent, in crudam, aquoſam & ſeroſam quandam ſubſtantiam, conuertatur, & in peritonei capacitate colligatur, aſcites hydropis ſpecies fiet. Si verò ſeroſus ille humor in ſcrotum quacumque ex cauſa deſcenderit, hydrocelem efficiet. Verum ſi aquoſus humor ĩ capite ſub caluaria, aut pericranio, aut externa cute, colligatur, ſiue id ex nutricum negligentia (vt aliquãdo accidit pueris, quum primùm in lucem eduntur) ſiue à cauſa latente, ſiue à ruptura vel vaſorum apertione fiat, vitium proprie hydrocephalon appellant. At ſi ſeroſus humor acris, & mordax, propter putredinem, vel ebulitionẽ, vel bilis miſtionem factus, in partem aliquam ſeceſſerit, phlyctenas excitabit, quæ etiam ſæpe & ab attritu, & ab igne, & ab aqua feruente excitantur.

Cauſę tumorũ aquoſorum.

Cap. 2. lib. 3. de ſympt. cauſis, & com. in aph. 1. 1. lib. 4. de ratione vict.

Pau. ca. 3 lib. 6. Hydrocephalon.

Phlyctenæ.

Cap. 2. lib. 3. de ſympt. cauſis.

Dignoſcuntur aquoſi tumores, ex partis tenſione, & ex eiuſdem ſplendore, Item ex fluctuatione quæ ſentitur ſi premantur digitis. Horum autem omniũ chirurgica curatio aut ſectione, aut punctione, ſiue perforatione (qua parũ humoris colluuiẽ ſubeſſe ſentimus) aut vſtione perficitur, vt docet Paulus lib. 4 & 6. de qua re amplius nũc diſputare operis breuitas non patitur.

Guydo.

Cap. 10.

Cap. 3. 50. & 62.

De Scirrho.

EX humore craſſo, & ſucci melãcholici analogiã atque naturam (propter ſiccitatis & frigi-

Cap. 5. lib. 3. loc. affect.

Quid ſcirrhus. ditatis exuperationem) referēre, ſcirrhus naſcitur. Eſt autem ſcirrhus tumor durus, doloris expers, cum ſenſu aut exiguo, aut prorſus nullo. hūc autem ab humore melancholico, aut à pituitoſo, aut ſimul ab vtroque originem habere ait Galenus. Fitque aliquando à principio, nullo præter naturam tumore præcedente, cū humor ille glutinoſus aut craſſus, id eſt, vt alio loco exponit Galenus, pituitoſus aut melancholicus, aut ex vtroque miſtus paruis particulæ meatibus impactus fuerit. Alias verò ſcirrhus alios tumores vt phlegmonas eryſipelata vel œdemata conſequitur, eorum materiæ tenuori parte per halitum digeſta, craſſiore verò refrigerata, & veluti in lapideam duritiem conuerſa: vt ſæpe malorum medicorū imperitia accidit.

Cap. 5. lib. 2. ad Glauc.

Scirrhi materia.

Cap. 8. lib. 5. ſimplic.

Scirrhus dup.

Cap. 6. lib. 5. ſimpli.

Cap. 5. lib. 2. ad Glauc. & lib. de tumoribus præter naturam.

Scirrhi à principio exorti cauſæ ſunt viſcidorū & craſſorum humorum ad partem fluxio, vel eorūdē in ipſa parte collectio, idq; vel propter malā victus rationem craſſum & viſcidum humorem generantem, vel propter hepatis, aut lienis affectiones, vel propter hæmorrhoidum aut menſiū ſuppreſſionem, adiuncta partis quæ afficitur imbecillitate.

Scirrhi verò ex coincidētia, precipua cauſa eſt, nimia aliorum tumorum præter naturam refrigeratio, aut intempeſtiua & immodica eorum digeſtio.

Paul. cap. 32. lib. 4.

In quibus partibus Scyrrhus naſcitur.

Conſueuerunt ſcirrhi aut in externis partib⁹, vt in muſculorum capitibus, & qui ab eis prodeūt tēdonibus conſiſtere, aut in internis vt in liene, hepate, & renibus. Scirrhus autem deprehende-

Cap. 5. lib. 14. Cap. 16. lib. 13. meth.

tur duritie, frigiditate, inſenſibilitate, & aliquando colore.

Scirrhus ſummè induratus inſanabilis eſt, at is in quo adhuc ſenſus eſt, etiã ſi ſit obſcurus, nec incurabilis eſt, nec facilem curationẽ ſuſcipit, cuius ſanatio vacuatio eius eſt, quod in parte pręter naturã continetur. Vacuabitur autem comodè admotis malacticis, id eſt medicamentis ſecundo, aut tertio ordine excalefacientibus, & primo ordine exiccantibus, habita ſemper maioris & minoris ratione: nam aliquando imbecillioribus, aliâs verò valentioribus erit vtendum. Modicè remolliunt adipes gallinarum, gallorum: medullæ ceruina, vitulina: valẽtior eſt adeps anſerinus, taurinus, caprarum, hircinus. Valenter etiam remolliunt amoniacum, ſtyrax, galbanum, bdelliũ, recentia: inueterata enim nimium deſiccant. Remolliunt etiam olea ſabinum, ſicyonium, & ſuſinum. Item radices cucumeris agreſtis, & althææ partim in aqua, partim in oleo decoctæ. Itẽ malua agreſtis, tam cruda quàm cocta. In tendonibus verò & ligamentis curantur ſcirrhi ſuffitu lapidis, pyritis, aut molaris cãdentis in aceto extincti. Sed hæc inutilia erunt, niſi & totum ægri corpus conueniente pharmaco repurgatũ prius fuerit, & æger ipſe conuenienti victus ratione vtatur: cauendo ea omnia quæ ſuccum craſſum & viſcidum gignunt, quorum catalogũ vide apud Gal. lib.3 de locis affectis.

Quis ſcyrrhus inſanabilis.
Cap. 7. lib. 7. de com. ph. gene.
Cap. 5. lib. 2. ad Glauc.
Cap. 7. lib. 5. ſimplic.
Remollientia medicamenta quæ.
Modicè remollientia.
Valenter remollientia.
Ætius cap. 23. Ser. 2. lib. 1.
Cap. 5. lib. 14. meth.
Cap. 6.

De cancro non vlcerato.

Cācri deſcriptio deſumpta ex Gal. lib. de atra bile. de tumoribus præter naturam. cap. 9. lib. 14. meth. Item ex Paulo cap. 26. lib. 4. Celſo. cap. 28. lib. 5. Auicenn. cap 15. tract. 2. fen 3. lib. 4.

HVmoris etiam melancholici ſoboles eſt καρκίνωμα, id eſt cancer: ſic dictus quod figura & forma cancro animali aquatico omnino ſimilis ſit. Eſt autem cancer tumor ex accidenti calidus, nigricans, immobilis, cū rotonditate inæqualis, interdū torpidus, ſępe dolorificus, vtrinque venas inflatas, pallentes aut liuentes, & cancri pedū modo recuruatas, fæculento ſanguine incaleſcente diſtentas (ob quas & circa locum veluti puncta ſentiuntur) habens, qui difficilimè à partibus quas obſederit, vt cancer animans à rebus quas pedibus comprehenderit euellitur.

Canceri cauſa continens. *Cap. 7. lib. 5. ſimpli. Cap. 9. lib. 14. meth.*

Huius morbi cauſa continens, ſuccus melancholicus eſt non ſolū in paruis particulæ meatibus, vt in ſcirrho accidit, ſed etiā in venis circuniacentibus impactus, & in eis putrere incipiens: qui ſi magis putruerit, & acrior atque malignior factus fuerit, exulceratum cancrum efficiet.

Gal. lib. de atra bile & de tumoribus peætèr naturam Paul. ca. 26. lib. 4. Cap. 11. lib. 2. ad Glauc. Ex Paul. cap. 26. lib. 4. Celſo cap. 28. lib. 5. com. Gal. in aph. 38. lib. 6.

Ratio etiam victus craſſum & fœculentū ſanguinem gignens, hepatis ad eiuſmodi ſuperfluitatem producendam aptitudo, lienis in ſanguine repurgando imbecillitas, menſium, hæmorrhoidum, & aliarum conſuetarum vacuationum ſuppreſſio, ad hæc partis affectæ imbecillitas, ſæpe cancrum inducere ſolent.

In quibus mēbris oriatur Cancer.

Malum hoc oriri conſueuit in oculis, naribus, auribus, labris, palato, ſede, ſinu muliebri, aliiſq; quibuſlibet partibus, ſed precipuè in fœminarum mammis: quoniam naturà inanes, fungoſæ & imbecilles ſunt.

Atrocis

Atrocis & ferini huius mali prima rudimenta inter initia antequã melancholicus humor craſſior factus in affecta parte altius radices egerit, prohibere licet, exhibito vere & antumno forti & frequenti medicamento melanogogo, ſecta tamen prius vena, ſi ætas & vires permiſerint: ijs etiam omnibus in victus ratione vitatis, quę ſuccum craſſum & fœculentum gignere poſſunt: interea hepati, ſi opus erit, & lieni ſumptis, & admotis eſt proſpiciendum, & hæmorrhoides atq; menſtruæ purgationes ſi ſuppreſſæ fueriut, prouocandæ, & pars affecta roboranda.

Cap.11.lib.2.ad Glauc. & com. in aph. 47. lib. 4.

Incipientes cancri quomodo prohibeantur.

At ſi tumor in molem ſatis inſignem attollatur, ſine manus opera nõ cõſaneſcit: nam totũ tumorẽ qui partibus ſanis adheret ita abſcindere oportet, vt nulla omnino eius radix relinquatur, quod propter vaſorũ circumſtantium magnitudinem fieri non poteſt ſine nimio ſanguinis profluuio, niſi aut laqueis ipſa vaſa intercipiantur, aut vrantur, quorum neutrum ſine egri ſummo diſcrimine, fieri poteſt, & tum maximè cum cancer ipſe internas partes occupauerit, qua ratione motus diuinus Hippocrates, occultos cãcros exquiſitè, curare prohibuit.

Cap.11.lib.2. ad Glauc.

Inſignis Cancer ſine manus opera non tollitur.

Cap.9. lib.14. meth.

Quàre Hipp. occultos cancros curare prohibuit.

Aph.38. lib.6.

LIBRI PRIMI
FINIS.

STEPH. GORMELENI
Synopſeos Chirurgiæ Liber II.
De Vulneribus.

> *Cap. 11. lib. de cauſ. morb. & lib. de diff. morb.*

> Quid ſit vulnus.

> Galenus nomine vlceris, vulnus etiam ſæpe intelligit. *Vt colligere licet ex cap. 10. lib. 3 meth. & ex com. in aph. 9. lib. 2. de fract.*

SOlutæ vnitatis curationē ſibi vendicant chirurgi, quatenus circa eā plus manu perficitur, quàm aut medicamento aut diæta. Soluitur autē vnitas tam ſimilarium partium (ſiue molles fuerint ſiue duræ) quàm organicarum, ab externa cauſa, aut ab interna. Ea verò vnitatis diuiſio quæ in ſimilaribus partib⁹ mollibus, à cauſa externa vulnerando infligitur, à latinis generali nomine vulnus appellatur, id eſt, hians apertura corporis, ictu aliquo, aut caſu, vel morſu inflicta: quod vitium aliâs vlcus, aliâs vlcus recens, interdum verò vlcus tantùm à Galeno vocatur.

De vulnerum cauſis.

> Vulnerum cauſæ.

> *Celſ. cap. 25. lib. 5. in principio.*

> *Cap. 6. de conſtitu. artis.*

> *Celſ. partic. 5. cap. 26. lib 5.*

> *Celſ. ibidem.*

VVlnerum cauſæ ſiue animatę fuerint, ſiue inanimæ, externæ ſunt, eęq; in vniuerſum tres, pro quarū varietate, ipſa vulnera varia ſortiuntur nomina. Nam quod à re acuta, tenui & pungēte vulnus infligitur, punctio appellatur: quod verò ab acuta incidente, vt à gladij acie, inciſio, aut vulnus diſciſſum: quod à graui, dura, retuſa, inęquali valenter irruente, frangente vel obtundente, cōtuſio, aut obtuſio cum diruptione, aut colliſio, ſiue colliſum vulnus.

De vulnetum differentiis.

Vulnerum differētiæ, quæ maximè ad curationis indicationem, & ad indicij certitudinem faciunt, ſumuntur, aut à

- *Vulneris ipſius.*
  - *Natura, à qua dicitur vulnus*
    - *Simplex*
    - *Coniunctū cum*
      - *Cauſa.*
      - *Morbo.*
      - *ſymptomate.*
  - *Eſſentia quæ in quantitate poſita eſt, à qua dicitur vulnus*
    - *magnum, quia*
      - *Longum.*
      - *Latum.*
      - *Profundum.*
    - *mediocre*
    - *paruum, quia*
      - *Breue.*
      - *Anguſtum.*
      - *In ſuperficie.*
  - *Figura, à qua appellatur vulnus*
    - *Rotundum ſiue circulare.*
    - *Rectum.*
    - *Tranſuerſum.*
    - *Obliquum.*
    - *Æquale.*
    - *Inæquale, vt*
      - *Diruptum.*
      - *Altera parte latens, altera manifeſtum.*
  - *Situ & loco, à quib⁹ dicimus vulnus fieri*
    - *Iuxta articulos.*
    - *Longè ab articulis.*
    - *In muſculi*
      - *Capite.*
      - *Ventre.*
      - *Cauda.*
  - *Tēpore, à quo dicitur vuln⁹.*
    - *Recens ſiue cruentum.*
    - *Vetus.*
- *Partibus vulneratis*
  - *Similaribus, vnde dicitur vulnus fieri in*
    - *Cute. Carne. Glādulis. Venis. Arteriis. Neruis. Mēbranis. villis. adipe.*
  - *Organicis, vt quando vulnus fit in*
    - *Cerebro. oculo. naribus. aure. fronte. labiis. ore. lingua. faucibus. aſpera arteria. œſophago. collo. brachio. manu extrema. thorace. pulmone. corde. diaphragmate. ventriculo. hepate. liene. inteſtinis. renibus. veſica. vtero. pudendo. ſcroto. cruribus. tibiis. pedibus, & aliis omnibus partibus.*

De Vulnerum ſignis.

Vulnerum notæ.
Vide Celſ. particul.5.cap.26. lib.5.

VVlnerum notæ aut diagnoſticæ ſunt, aut prognoſticæ. dignoſcitur autē vulnus ſenſus iudicio. At prognoſtica eius ſigna ſumũtur ex eiuſdem magnitudine & figura, ex partis vulneratæ ſubſtantia, temperamento, conformatione, ſitu, virtute, habita ratione ſexus, ætatis, temporis cōſtitutionis, anni partis, regionis, generis vitæ, diętæ, & ſymptomatum ſuperuenientium.

Vulneris autem magnitudo deprehenditur ex

- *Affectæ partis præſtãtia, propter quam lethalia dicuntur vulnera quæ ſunt in partibus, quarum virtus aut actio, toti corpori & vitæ eſt neceſſaria, vt cerebri, hepatis, inteſtinorum, veſicæ vulnera apud Hipp. lib. 2. prædictionum.*
- *Affectus in triplici dimenſione magnitudine, ob quã magna & periculoſa ſunt vulnera, quæ ſuturis, vel vinculis indigent., qualia etiam ſunt ea quorũ meminit Hipp. aph. 18. lib. 6. aphoriſ.*
- *Cachoëtheia propter quam etiam magna vulnera dicuntur, quæ in articulis accepta ſunt. Itē quæ ſunt in capitibus & finibus muſculorum maximè neruoſorum. com. in aph. 6 &. lib. 5. Itē ea quæ à telis venenatis vel venenatorum animalium morſu infliguntur.*

Cap. 6. lib. 4. meth.

Ex illa enim triplici magnitudine rectè conſiderata, facilè cognoſcet medicus quæ, vt ait Celſus, ante omnia in vulneribus ſcire debet, nempe

Quæ inſanabilia ſunt vulnera, vt ea quæ ſunt in baſi cerebri, corde, pulmone medio, ſtomacho, iocinoris portis, ſpinali medulla, inteſtinis ieiuno & tenui, renibus, arteria aorta, vena caua, venis & arterijs magnis circa fauces.

Quæ difficilem curationẽ habent, vt ea quæ ſunt in vlla pulmonis parte, craſſo iocinoris, membranis cerebrum continentibus, liene, inteſtino aliquo, ſepto tranſuerſo, veſica, vulua, articulis, alis, poplitibus, feminibus, inanibus locis, quacunque parte venæ maiores ſint, aut quoties mucro ad grandes venas intus conditas deſcendit. Cap. 26. lib. 5.

Quæ proptiorẽ, vt ea quæ in carne ſunt, & hæc quidẽ loco, vel peiora, vel meliora ſunt, modo verò periculum facit quodcunque magnum eſt.

De vniuerſali vulnerum curatione.

Cap. 90. artis parua.

Vulnerũ vniuerſalis curatio.

VVlnus curabitur ſi partes diſſolutæ vniantur conglutinatione vel coalitu: quod fit ſolius naturæ beneficio, medico tamen naturã adiuuante, dum tela & alia omnia quę eorũ glutinationem impediũt, ex ipſis vulnerib' amouet: diſtentas & ſeparatas vulneris partes applicat: adductas & applicatas ita partes, ſuturis, fibulis & vinculis ſtabilit: partis vulneratæ ſalubrem ſuſtantiam, conuenienti victu & medicamentis, conſeruat: & ſymptomata ſuperuenientia modis

Cap. 3. lib. 4. meth.

Cap. 1. lib. 4. meth.

Quomodo medicus in curandis vulneribus naturæ actionem adiuuet.

omnibus depellit.

Primus medici ſcopus in curando vulnere.

Ante omnia igitur ex vulnere eximendum eſt quodcunque in id inciderit, ſiue telum ſit, ſiue teli, aut oſſis, aut rei alterius fruſtulum, ſiue pilus, ſiue etiam ſanguinis concreti grumus: quod fiet aut manu, aut ferramentis, aut medicamento ſuperpoſito. Et quoniam locum in corpore in quo telum deliteſcit, exquirere & inuenire, ipſumq; telum extrahere, ita artificioſum eſt, vt id aggredi ſolis expertis concedat Hippocrates, ideo de ſignis quibus deliteſcentia tela deprehendantur, & de eorum extrahendi ratione eſt dicendum.

Lib. de medico.

[illegible] te-ſum deprehendatur.

Deprehendetur telum ſi vulnerati corpus in ea figura cõſtituatur, in qua erat quum vulnus accepit, quod ſi non poſſit ſic conſtitui, iacens ita collocabitur, vt quam proximè ad eam figuram accedat, vt ex Hipp. conſulit. Paulus.

Ca*p*.88.*lib*.6.

Ad hanc etiam dignotionem iuuat & ſubſtantiam, & ſitum, & figuram, & connexionem atq; vicinitatem partium vulneratarũ, nouiſſe: & omnia quæ ſuperueniunt ſymptomata de quibus copioſé Celſus & Paulus, annotaſſe.

C*ap*.26.*lib*.5.
C*ap*.88.*lib*.6.

Ratio extrahẽdi tela vnde.

Ratio verò extrahendi tela, & inueniendi inſtrumẽta quibus ea euellantur, partim ex exacta cognitione omnimodæ naturæ, partium vulneratarum, partim ex telorum ipſorum diuerſitate dignoſcetur. Naturam partium affectarum cognoſcet, qui earum ſubſtantiá, ſubſtantiæ modum, temperamentum, figuram, ſitum, connexionem, vſum, actionẽ, vires, & dignitatem nouerit.

Telorũ verò diuerſitas cognoſcitur, ex eorundem

- *Materia*
  - *Ferrea. ærea. ſtannea. plũbea.*
  - *cornea. vitrea. oſſea.*
  - *arũdinea. lignea. lapidea.*
- *Figura*
  - *lata. longua. inæquali.*
  - *rotunda. anguloſa. ſulcata.*
  - *hamata. cuſpidata,*
    - *antrorſum.* / *retrorſum.*
      - *quæ ſeſe expãdũt dum*
        - *emittũtur.*
        - *extrahuntur.*
  - *ſine cuſpide.*
  - *aculeata.*
  - *ſpiculis cincta.*
- *Magnitudine*
  - *magna.*
  - *mediocri.*
  - *parua.*
- *Numero, quòd ſint aut*
  - *Simplicia.*
  - *Multiplicia, vel ex multis ferramentis compoſita, quorum nonnulla, dum alia extrahuntur, in imo deliteſcunt.*
- *Habitu, quòd alia habeant ferrum vel*
  - *Acutum,* / *Cõcauum,*
    - *hærens*
      - *Firmiter.*
      - *Negligẽtius, ita vt ĩ extractione remaneat.*
- *Viribus*
  - *venenatis.*
  - *veneno minimè infectis.*

Omne autem telum extrahitur, aut ab ea parte qua venit, aut ab ea in quam tetendit, ab ea parte qua venit extrahitur ſi nõ altè inſedit, & in ſumma eſt, ſi è regione magnas venas & loca neruoſa, aut os habuerit, aut ſi neruos venáſque aut arterias non tranſiit.

Celſus cap.4. lib.7.
Paul.cap.88. lib.6.

Qua parte telum extrahitur.

Quomodo telum extrahitur.

Extrahitur verò vel manibus (ſi id comodè fieri poteſt) vt quum in carne ſola fixum eſt telum: vel vulſellis, vt quum telum non firmiter, altius tamẽ hæſerit, quàm vt digitis comprehendi poſſit. vel forcipibus dẽticulatis, rectis, incuruis, canaticulatis, extrema parte rotundis & cauis. vel terebris inuerſis, ampliata tamen prius ſcalpello plaga, ne à telo dum redit, corpus lanietur.

Quæ medicamenta tela educunt.

Plinius cap. 19. lib. 24.

Oribaſ. cap. 17. lib. 7.

Celſus cap. 26. lib. 5.

Dioſcorides.

Celſ. ca. 4. li. 7.

Medicamẽta etiam quæ tela & ſpicula in corpore infixa educunt, quædam reperiuntur, vt radix pectinis veneris cum malua tuſa, ambæ anagallides, ariſtolochia, ammoniacum cum melle, arundinis radix contuſa & melli admiſta, alterci fructus tritus, dictammum, propolis, narciſſus, lacertæ caput in tritum & appoſitum.

Ab ea autem parte in quam tetendit extrahitur telum, ſi plus eſt per quod illi reuertendũ, quàm quod perrumpendum eſt: ſi in maiore membro, mucro mediũ tranſiit: ſi neque os, neque neruus, neque vaſa inſignia, diuiſionem impedierint. Inciſa igitur contra mucronem carne laxius quàm vt telo poſtea tranſeunte amplietur, telum ipſum vel Baliſta dicta, vel impellente cauo aut ſolido protruditur.

Paul. cap. 88. lib. 6.

Quod ſi telum inflxum ita delituerit, vt nullo modo reperiri poſſit, aut non ſine maiore diſcrimine propter vicina corpora extrahi, tandiu dimittendum erit, obducta etiam cicatrice, donec natura ipſum protrudat.

Extracto telo quid agẽdum.

Extracto telo, ſanguis ex vulnere propter telũ alteratus, ne pũtreſcat exprimitur: vulnus ipſum (ſi doloris metus fit) oleo calente perfunditur.

Cæteris etiam ſymptomatis quæ ſuperuenire poſſunt, erit tempeſtiuè occurrendũ, atq; ob id, ad ea chirurgus ſemper attentus eſſe debet.

Secundus in vulnere curando chirurgi ſcopus eſt, orarum vulneris adductio, ſuppreſſo tamen prius, ſi nimis erumpat, ſanguine, ſi parum fluit, extracto: quoniam vt ait Hipp. omni recens facto vulneri niſi in ventre ſit, expedit eo ipſo ſtatim ſanguinem plus minúſve effluere.

Secundus in vulnere curãdo ſcopus.
Cap.4.lib.3. meth.
Celſ.cap.26. lib.5.
Lib.de vlceribꝰ.

Adducuntur autem hiantes vulneris partes, atque etiam in vnum coactæ conſeruãtur, aut vinculo, aut ſutura, aut fibulis, aut horum nonnullis, aut omnibus, ſumpta indicatione à vulneris magnitudine, atq; à natura & ſitu partis vulneratæ.

Cap. 90. artis medic.
Secundus & tertius ſcopus conueniunt.

Nam in vulneribus ſecundum muſculorum rectitudinem factis, vinculo duobus initiis circundato vtendum erit. Faſcia verò aptiſſima lintea eſt, lata (vt ſemel iniecta non vulnus tantùm, ſed paulũ vtrinque etiam oras eius comprehendat) nõ nimiũ mollis & fragilis, quo tutò contineat, neque rurſus ita dura vt premendo offendat. Tũ verò ipſa circunductio nec ita laxa ſit, vt nihil efficiat, nec ita vehemens, vt premendo dolorem excitet: ſed contineat, non aſtringat. Si ab altera parte caro magis receſſit, ab ea magis faſcia attrahetur. Hyeme ſæpius faſcia circuire debet, æſtate quoties neceſſe eſt: tũ extrema pars acu inferioribus aſſuenda, nam nodus vulnus lædit.

C[illegible] vltimo lib. 3. meth. Celſ. cap.26.lib.5.
Vide com. in aph.13.lib. 2. de off.med.
Qualis ſit faſcia & quando ea vtendum.
& quomodo, & quo tempore.
Celſ. vbi ſupr.
Paul. cap. 36. lib. 4.

Sutura verò vtendũ erit in tranſuerſis vulneribus, in vulneribus quorum oræ plurimum diſſident, & facilè attrahuntur. Item quando caro alia parte dependens, alia integrè hęrens, coniun-

Sutura quãdo vtendum.
Cap. vlt. lib. 3. meth.
Cap. 4. lib. 3. com.ph.9.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ctione corporis fouetur, plagáque fit ĩ parte molli, vt ĩ ima aure, imo naſo, bucca, palpebra, labro, cute circa guttur, cute frõtis, abdomine, & ſimilibus, cauendo ne quid cõcreti ſanguinis, aut rei alterius in vulnere relinquatur.

Suturæ genera.

1 genus ſuturæ.

Suturarum auté varia ſunt genera, aliâs enim ſutura fit acu filum trahente, transfixis in gyrum vtriſque vulneris oris, vt pelliones pelles conſuere ſolent, quo modo ſauciata inteſtina ſuuntur:

Item membranæ, loca carne deſtituta, atque etiam aliæ omnes partes, quando fluentis ſanguinis impetus, alio ſuturæ genere vti non permittit.

2 genus.

Aliâs vulneris labra ita ſuuutur, primus punctus duabus fili inuolutionibus ſtabilitus, in medio diuiſionis fit: factóque nodo, filum paulum à nodo ſcinditur, deinde vtrinq; in mediis ſpaciis fiunt & alij pũctus, vnica fili inuolutione & nodo, vt ſuprà firmati, & ita deinceps, ſi opus erit, inter quoſcũq; duos punctus, pũctus adhuc fiet.

3 genus.

Aliquando in magnis & profũdis vulneribus ſutura fit, tranſfixis vtriſq; vulneris labris, tot numer acubus quot opus fuerit, circa quas filum eo modo quo ruſticę mulieres acus ſuas in veſtibus aſſeruant, inuoluitur: relictis ibi acubus vſq; ad vulneris agglutinationem.

4 genus.

Suitur etiam vnlnus aliquãdo hoc modo, pinnæ conuenienti longitudine vtrinque vulneri adaptantur, acu filum trahente vtrunque vulneris labrũ traiicitur, ibíque filo altera pinna cõprehenſa, acus per idem foramẽ reducitur, deinde extrema filorum, euntis inquam & redeuntis,

quibus & altera pinna comprehendetur, nodo conſtringuntur, & filum abſcinditur: in quo etiam ſuturæ genere tot pūcta, fieri debēt, quot pro vulneris magnitudine neceſſaria videbūtur.

Aliâs nō vulnus ſuitur, ſed puluilli pannei triāgulares, linimento pertinaciter hærente, ex ſanguine draconis, maſtiche, thure, ſarcocolla, polline, & oui albumine parato, illiti, vtrinque parū à lateribus vulneris adaptantur, qui poſteaquam pertinaciter hæſerint, conuenienter ſuuntur. 5 genus. *Auic. cap. 8. tract. 1. fen 4. lib. 4.*

Sunt & alia ſuturarū genera, quibus diſciſſum abdomen conſuitur quæ ob id γαστρορῥαφία à veteribus appellantur. Horum primum genus ita adminiſtratur, ab externa cute incipiendo introrſum acus iniicitur, vbi verò tum cutem, tum ſubiectum muſculum totum tranſierit, præterito quòd muſculo ſubeſt peritoneo, per reliquum peritoneum & abdomen, ab interno extra tranſmittitur: vbi hoc penitus tranſierit, rurſus ab externo introrſum idem abdomē eſt perforandum, & præterito (vt ſuprà) ſubiecto peritoneo, contrarium peritonem cum toto illi coniuncto abdomine ab interino extrorſus perpūgendum, atque ſic iterum iterúmque faciendū, quoad totum vulnus ſimiliter conſutum fuerit. *Gal. cap. 4. lib. 6. meth.* *Sutura abdominis.*

Alio modo abdomen ita ſuetur: oportet à vicino nobis abdomine incipere, atq; ab externo introrſum: per id tantū, acum trāſmittere, poſt, pręteritis vtriſque peritonei labris, ex aduerſa parte ab externo introrſus, per vtrunque eius labrum acum reuocare: deinde rurſus hanc reuocare, atq; ab interno extrorſum per aduerſum abdomen *Cap. 4. lib. 6. meth.*

Cap. 16. lib. 7. traiicere. Eſt & tertiũ ſuturę abdominis genus apud Celſum, quod duab⁹ acubus adminiſtratur, verũ id quũ minus frequẽs ſit, prætereũdũ cẽſui.

Celſ. part. 21. cap. 26. lib. 5.

Sutura qualis.

Sutura cuiuſcunq; generis ſit, mediocris eſto: quoniam nimis rara non continet, & nimis crebra vehemẽtius afficit: quo enim ſæpius acus corpus pungit, eo maiores oriuntur inflammationes, præſertim æſtate, oræ autem vulneris ſutura iunctæ, ex toto inter ſe cõtingere non debent, vt ſi quid humoris intus concreuerit, ſit qua emanet.

Acus qualis eſſe debet.

Filum quale.

Acus ſit longua, læuis, cuſpide triangulari, & cauda parum excauata, vt filum, eius tranſitum non remoretur.

Filum etiam ſit æquale, conſiſtentia mediocri, nam quod iuſto durius eſt, cutem rumpit, quod verò mollius, ipſũ prius rumpitur.

Quomodo ſuendum.

Dum vulnus ſuitur altera eius orę pars canaliculo in extrema parte feneſtrato ĩniti debet, ne cutis euagetur, & vt pertranſiens acus videri poſſit, ora verò vulneris dũ per eam filũ attrahitur, ſpecillo aut alio adminiculo fulcietur, ne attractũ filũ cõſequatur.

Celſ. ibidem.

Fibulis quãdo vtendum.

Si verò in carne vulnus eſt, hiátque, neque in vnũ oræ eius facilè attrahuntur, ſutura quidem aliena eſt, imponendæ verò fibulæ ſunt (ἀγκτῆρας Græci nominant) quę oras paulùm tamen cõtrahunt, quò minus lata poſtea cicatrix ſit, ferè enim fibulæ latius vulnus eſſe patiuntur. Comprehendi fibula vel ſutura non cutem tantùm, ſed aliquid etiã ex carne vbi ſuberit hæc, oportebit, quo valentius hęreat, neque cutem abrumpat.

Quartus ſcop⁹

Cap. 90. artis medic.

Coactæ in vnum vulneris oræ naturæ benefi-

cio coaleſcunt, & ſæpe priſtinam vnitatem recipiunt, ſi partis læſæ ſubſtantia ſalubris conſeruetur: hoc autem fiet, eam mediocriter exiccando, admotis linamentis, puluinulis, emplaſtris, linimẽtis, aliquãdo venę ſectione, vel purgatione, nõ neglecta cõuenienti victus ratione: ſumpta ſemper indicatione à vulneris magnitudine, totius corporis & etiam partis affectę natura, temperamento, & ſimilibus.

Linamentum propriè (Græci μοτὸν nominant) eſt penicillus quidam ex linteo cõcerptus & implicitus, qui vulneri imponitur. Fit autẽ ex intortis, deraſis, euulſis vel excerptiś linteis, ex ellychniis, ex ſtupa bene mũdata & pexa, ex xilino (cotonem vocant) ex ſpongia bene expreſſa, ex iunci craſſioris & ſambuci medullis, ex fungorum pediculis, ex pilis leporinis, ex lanugine ſalicis & cotoneorum, ex gentianę & ſimilium radicibus.

Linamentum quid.

Com. in aph. 31. li. 2. de off. med.

Veteres medici, variis nominibus hoc auxilij genus appellarunt, vel propter eius materiã, vel propter formam. Sic στρεπτὸν, ξυστὸν & τιλτοὶ, μοτὸς, quòd ex intortis, deraſis, excerptis, vel euulſis linteis fierent, vocarunt: ἐλλυχνιωτὸν, quòd ex ellychniis conformaretur: πριαπισκωτὸν, quòd penẽ referat: λημνισκὸν quòd in longitudinem faſtigiatum ſit: σφηνισκὸν, quòd cunei figuram imitetur. Formari etiam ſæpe ſolent, in vermiculorum & in floccorum formam, pro partium & vulnerum figura.

Gal. in introduct. ſiue in medico.

Linamẽta vnde noĩa ſumpſerunt.

Cel. cap. 28. lib. 7.

Holl. cap. 4. lib. 3. de muterie chirur.

Linamentis ſępe ſiccis, frequentiùs aliquo linimento imbutis vtimur, vel ad detergendum, vel

Lineamntorum vſus.

ad exiccãdum, vel ad ſanguinis fluxum ſiſtendũ, vel ad vulneris oras hiantes retinẽdas, vel ad ipſum vulnus ampliandum, in vulnerib⁹ cauis, anguſtis, profundis, humidis, ſordidis, cõtuſis, venenatis, ab externo aere corruptis, in vlcera degenerãtibus, deniq; in vulneribus cum tumore aliquo præter naturam, vel oſſium læſione, vel ſanguinis eruptione, coniunctis.

Puluinoli vnde dicti.

Iuuant etiam ad affectæ partis naturam ſalubrẽ conſeruandam puluinuli, à ſimilitudine puluinorum (qui tomento, lana, vel pluma infarciuntur, & in ſella vt mollior fiat ſeſſio imponuntur) ita dicti: vulgò plumaceoli appellantur. Fiunt autẽ ex xylino, lana, ſtupis canabinis diligenter pexis, rarò ex ſpongia, frequentiſſimè ex pannis duplicatis. Admouentur, vel vnus, vel duo, vel tres, vel etiam plures, nunc ſicci, nunc liquore aliquo imbuti, vt vino, poſca, oleo, oui albumine, cerato liquido, vel alio ſimili.

Horum vſus eſt, coactas in vnum vulneris oras fulcire, & leuiter comprimere: partis vulneratæ calorem natiuum fouere: partémque à faſciarum moleſta preſſura tueri.

Venæ ſectio. *Vide cap. 6. lib. 4. meth. & cap. 7. & 8. lib. de curatio per ſangui. miſſionem.*

Neque venæ ſectio negligenda erit ad ſalubrẽ partis ſtatum retinendum, ſi vel ſanguis non ſufficienter ex vulnere fluxerit, vel à vulneris aut doloris magnitudine, ab inflammatione, conuulſione, vigiliis, delirio vrgentibus, periculum immineat, vt in vulneribus articulorũ, tẽdonum, neruorum, & partium carne vacuarum: ídque ſi ætas & virium robur permiſerint.

Purgatio.

Neque etiam conuenienti purgatione vti alie-

num erit, vbi pręſertim totum corpus cacochymum fuerit, Imò ſine cacochyma purgare oportebit, ſi vulnus in capite fuerit, vel in ventre, vel in articulis, vel vſque adeò magnum, vt ſutura egeat: vel ſi ex eo corruptionis periculum immineat, vt docet Hipp. lib. de vlceribus.

Gal. cap. 6. lib. 4. Methodi.

Victus etiam ratio ad tuendum ſalubrem partis affectæ ſtatum confert: ſit igitur aer cubiculi in quo vulneratus appoſitè & indolenter iacet, temperatus: alatur (niſi vires aliter ſuadeant) exiguo cibo, boni ſucci, & facilis coctionis, modicè refrigerante, ſi inflãmationis aut febris metus ſit, à quibus ante ſeptimum diem rarò fit tutus, ante quod tempus, vinum omnino ſubtrahendum eſt, niſi ex ſanguinis profluuio, intermoriatur: tunc ante vllam curationem, vino reficiendus, quod alioqui inimiciſſimum vulneri eſt. Sit eius cœna frugalis. Quieſcat. Venerem & omnes animi vehementiores motus vitet.

Celſus part. 23. cap. 26. lib. 5.

Accidũt ſæpe vulneratis ſymptomata, quę tam ipſis, quàm medico negotium faceſſunt, & quæ (quum veluti cauſæ rationem habeant) curationis rationem quodammodo immutant, omnémque ferè medici ſolicitudinem ad ſe neglecto aliquando vulnere conuertunt: ea autem ſunt intẽperies, inflãmatio, dolor, febris, conuulſio, paralyſis, ſyncope, delirium & ſimilia: de quibus (& ſi nõ ad χειρουργικὴν pertineãt) pauca tamen, quoniam ab eorũ natura curatio vulneris immutatur, dicemus.

Quintus ſcopus in ſymptomatum emendatione eſt poſitus.

Cap. 1. lib. 12. methodi. Cap. 13 lib. 1. ad Glauc.

Omnis intemperies vulneratis ſuperueniens, ſiue ſimplex fuerit, ſiue compoſita, ſiue fluen-

Intemperiei emendatio.

te materia, ſiue cum eiuſdẽ affluxu, ſuo contrario eſt profligãda. Itaque aduerſus intemperiem calidam, ſimplicem, ſine materiæ affluxu (ſi partẽ vulneratam obſederit) quam ex rubore & calore deprehendemus, pugnabimus roſ. plantag. vnguento albo, & ſimilibus. Si verò frigida fuerit in parte intemperies, quæ ex liuiditate & frigore dignoſcetur, admouebimus vinum, vnguẽtum fuſcum, baſilicon, & ſimilia. Eadem ratione aduerſus humiditatem & ſiccitatem ſuis contrariis erit pugnandum.

Cap.5.li.4.met. Auicen.cap.3. 4 tract. Quòd ſi intemperies humorem comitem habuerit, pro ipſius humoris natura, tumor præter naturam qui vulneris curationẽ impediet, orietur: & maximè inflãmatio, quæ quinto die quanta futura eſt, ſe oſtendit: *Celſus ibidem.* aduerſus quam nunc venę ſectione, nũc purgatione, nunc repellentibus, nunc digerentibus, aliâs aliis remediorum generibus vtemur. Similiter & aduerſus alios præter naturam tumores, ſuis conuenientibus remediis *Lib.1.ſuprà.de tumorib⁹ præter naturam.* (de quibus ſuperius dictum eſt) pugnandum erit.

Doloris mitigatio. Capite 4. lib. 3. & lib.5.meth. Dolor, qui etiam in temperatis & puris corporibus fluxionẽ excitat, & vires deiicit, in primis mitigãdus eſt, & ſi fieri poteſt, omnino ſedãdus, fotu partis læſæ parato, vel ex ſolo oleo, vel ex roſaceo modicè calidis, admiſto oui vitello, vel (vbi vehementior fuerit caliditas) albumine. Quod ſi dolor intollerabilis fuerit, oleum papauerinũ, vel per ſe, vel miſto opii aut alterius narcotici momento, vtile erit, modo cautè id fiat.

Celſ. ibidem. Febris. Febris quæ vulneratis ſuperuenit, terrere non debet, ſi in magno vulnere dũ inflãmatio eſt permanet:

manet: at illa quæ vel leui vulneri ſuperuenit, vel vltra tempus inflãmationis durat, vel delirium mouet, pernitioſa eſt: ideo oppugnãda erit purgatione, venę ſectione, frigidis alimentis, & medicamentis: ſumpta indicatione à morbi magnitudine, ægri viribus, temperamento, ætate, conſuetudine, anni parte, temporis conſtitutione, vitæ genere & ſimilibus.

Accidit etiam vulneratis non ſine magno diſcrimine, cõuulſio, quæ nihil aliud eſt quàm corporum neruoſorum à quibus voluntarij motus perficiuntur, inuoluntaria verſus principium reuulſio. Hic affectus aut primarius eſt, aut per conſenſum accidit. Quæ primariò fit conuulſio, aut propter inanitionem, aut propter repletionẽ generatur. Si ab inanitione & ſiccitate fuerit conuulſio, qualis eſt ea quæ largos ſudores, immoderatas vomitiones, alui deiectiones, aut ſanguinis profuſiones, famen, curas, vigilias immodicas, labores, & motus multos atque vehementes, febres ardentes, & colliquantes ſequi conſueuit, confirmatáque fuerit, inſanabilis eſt.

Conuulſio. Hip. aph. 2. li. 5. Cõ. in aph 1. lib. 5. & in aph. 39. lib. 6.

Com in aph. 1. li 6

Com. in aph. 57 lib. 4. & 26. lib 2.

Incipientẽ verò, quamuis ſit periculoſa, prę̨ſertim ſi febrem comitem habuerit, ſanare tentandum erit, partium conuulſarum fotu parato ex oleo aut hydreleo calidis, balneo ex oleo calente, aut ex decocto capitũ & extremitatum, agnorũ, hædorum, vitulorũ, veruecum pinguium, radicis althææ, foliorum maluæ, viol. & ſimilium, adiecta tertia aut quarta parte olei. à balneo ceruix, tota ſpina, ſcapulæ, articuli, muſculorum capita, illinenda ſunt oleo cõmuni, violacco, admygdal.

Sauonaroll. ca 4. lib. 1. de Balneo.

Lib. 6. meth.

Com. in aph 65. *& 66 lib.* 5 *aph.* dulci, adipe gallinæ, anatis. Et ſi febris affuerit, refrigerantia ſupradictis ſunt immiſcenda.

Si verò à repletione facta fuerit conuulſio, vt quando tumores in vulneribus ſuborti, repente euanuerint, aut quãdo in prauis vulneribus nullus omnino tumor apparuerit, vacuare oportebit, & à toto corpore, venæ ſectione vel cõuenienti purgatione, & à partibus, præſertim à capite, gargariſmis, errhinis, apophlegmatiſmis, clyſtibus acribus (qui potẽter ex cerebro reuellunt) & ſimilibus. Partes vero conuulſæ, ceruix, ſpina, articuli, axillę, inguina, fricanda & illinenda ſunt oleo liliorum, coſtino, ſpicato, laurino, vulpino, rutaceo, de euphorbio, de caſtorio, oleo philoſophorum & ſimilibus: ſuperpoſita lana ſuccida.

Particul. 10. *cap* 1. *lib.* 2. *de comp. ph. loc.*
Cap. 3. *li.* 6. *met.*

Iuuat etiam & balneum ex oleis calidis paratum, & vulgò dictæ ſtuphę ſiccę, ex ſuffitu rerum exiccantium, & partes neruoſas roborantium, cauendo à frigore.

Com. in aph. 17. *lib.* 5.

Per cõſenſum fit conuulſio, vellicatis, vel punctis, vel aliter læſis neruoſis partib⁹: à cauſa aliâs interna vt bile acri, æruginoſa, vel alio humore mordente, aut venenato: aliâs externa venenata, aut ſine veneno neruoſas partes incidente, pungente, vel cõtundente, cum ſummo dolore, inflãmatione, morſu & moleſtia.

Com. in aph. 1. *lib.* 5.

Quòd ſi paſſio principiũ attigerit, vniuerſalis erit: particularis verò, ſi partes affectæ tantùm, illæſo cerebro contrahantur.

Com. in aph. 2. *lib.* 5.

In his omnibus per conſenſum conuulſionibus, ante omnia dolor anodynis ſedãdus: Si materia mordax, acris, & vellicans, conuulſionem

excitauerit, per loca conferentia vacuanda.
Venenum, ſi quod inflictum fuerit, cucurbitulis, corniculis, ſuctu, vel admoto medicamento attrahēte, aut alixipharmaco, vt theriaca attrahendum, vel etiam cauterio, vel medicamento quod eſcharam facit, cor & cerebrūm roboranda, caput, ceruix, ſpina, articuli, axillæ, inguina, oleo liliorum, aut chamæmelino illinēda, & ſi cætera irrita fuerint, neruus aut muſculus læſus, per tranſuerſum ſecandus eſt. *Cap.6.lib.13. meth.* *Cap.9.lib.3. meth.*

Ex ſymptomatum numero, quæ vulneratis accidunt eſt paralyſis, quæ proprie reſolutio eſt alterutrius lateris, aut vnius tantū particulæ corporis, quæ accidit ſpiritu animali intercepto, & ad partem tranſire prohibito, propter continui ſolutionem, aut viarum occluſionem, dum pars inciditur, vel contunditur, ictu, aut caſu, dum cōprimitur à violento frigore, à vinculo, à vicinarū partium inflāmatione, ſcirrho, à laxatis, vel fractis oſſibus. Poteſt etiam ab interna cauſa accidere, vt à craſſis & viſcidis humoribus neruos obſtruentibus. Si igitur accepto vulnere reſolutio ſequatur, vacuato toto corpore venę ſectione aut purgatione, aut ſi opus eſt vtroque, & humorum fluxu ſedato, parti affectæ & neruis vnde læſio orta eſt, admouenda ſunt ea quæ neruos roborāt & calefaciunt: vt oleum, nardinum, coſtinum, de nuce moſcata, de caſtorio, de hyperico, vulpinū, de lūbricis, & ſimilia. Vel emplaſtrū admouetur ex baccis, lauri, cortice thuris, ſtyrace calamita, myrrha ſabina, nuce cupreſſi, radice acori, roſis, alumine, croco, caſtorio, maſtiche, nigellię & ſi- *Cap.10. lib.3. loc.aff.* Paralyſis. *Cap.5. lib.1. de ſympto. cauſis.*

milibus.

Cap. 2. de cordis ægritudinibus.

Guydo & Tagautius liquore quodam ſtillatitio, à Petro Apponenſi in additionibus in Meſuem deſcripto, vtuntur: quo veluti mirabili auxilio in hoc affectu vti conſulunt.

Cap. 5. lib. 12. meth.

Syncope.

Incidunt vulnerati in ſummum vitæ diſcrimē ſi prehendantur ſyncope, quæ eſt pręceps lapſus virium, quarum eſſentia in ſpiritu & ſolidorum corporum temperamento conſiſtit. Labuntur autem in vulnere vires, vel ab atroci dolore, vel ab immodica ſanguinis profuſione: eòque facilius quo corpus vel rarius fuerit, vel maiore copia ſucci crudi abundauerit: accidit etiam ſyncope à vigiliis, à ſæuis animi pathematis, ab inedia, & omni immodica vacuatione, à labore, & à principiorum intemperie.

Cap. 5. & 7. lib. 12. meth.

[illegible] ca. 38. li. 2

Futuræ ſyncopes ſigna.

Futuram ſyncopem prę ſagiet medicus ex pulſu langueſcente, colore palleſcēte, motu corporis & eius partium ignauo & difficili, ex frigido ſudore circum collum & faciem. In valida ſyncope medicinæ locus non eſt: at ſi vires adhuc tantillum conſtant, aliquando recuperantur.

Paul. cap. 34. lib. 3.

Syncopes curatio.

Si à dolore ſyncope fiat, doloris cauſæ quęrendæ & amouendæ ſunt, ipſe verò leniendus.

Si verò à ſanguinis profuſione, ſpiritus diſſipati recreandi, vtrunque vinum flauum, vetus, odorum pręſtabit, quod omnibus quos ſyncope malè habet offerre conuenit, breui enim reficit. confert fruſtum panis vino diluti ad ſugendum prębere. Facies vel frigida, vel aqua roſ. vel vtraque irroretur, acetū roſ. naribus admoueatur: hominum turba è conclaui arceatur, extrema fri-

centur, nonnulli barbam, capillos, aures & nares vellunt.

Accidit etiam aliquando vulneratis deprauatus principis facultatis motus (παραφροσυνὴν vocant) patiente nimirum per conſenſum cerebro, vt in neruorum punctionibus, & aliis dolorificis vulneribus, In nimia ſanguinis profuſione, debilitato cerebro propter ſpirituũ defectum, vnde motiones animi deprauatæ. Poteſt etiam delirium accidere propter vulnerum inflãmationes, & febres, delata per partium communicationem ad cerebrum affectione. Si propter dolorem vel nimiam ſanguinis profuſionẽ deſipientia orta fuerit, mitigabitur modis omnibus dolor, diſſipati ſpiritus recreabuntur, caput ſumptis & admotis roborabitur. Si verò ab inflãmatione vel febre oriatur, vapores à cerebro, admoto oxyrhodino repellentur: & vinculis atque frictionibus extremarum partium, acribúſque clyſteribus ab eodem reuellentur.

Delirium. — *Cap. 9. lib. 3. meth.* — *Cap. 10 lib. 9. meth.* — *Com. in aph. 9. lib. 7.* — *Com. in aph. 23. lib. 2. de fruct.* — Delirij curatio

De vulneris ſimplicis in parte carnoſa curatione.

CVm vulnus in partibus organicis curationẽ non recipiat, nõ eſt quod de eo aliquid dicamus: ideo de partiũ ſimilarũ ſpeciali vulnera curandi ratione, breuiter ſumma capita notabimus, ſumpto ab eo quod in carne fit exordio: hoc autem aut ſimplex eſt, aut cum ſubſtantię deperditione coniunctum, quod rurſus, coniun-

Cap. 90. artis medic. — Specialis curatio vulneris partium.

ctum cũ aliquo ex ſuperius cõmemoratis ſymptomatis, aut ſine vllo ſymptomate eſt.

Cap.4.lib.3. meth.
Cap.10.lib.3. meth.
Hipp. lib. de vlceribus.

Vulneris igitur ſimplicis in parte carnoſa curationis finis, eſt vnitio, quę fit naturæ opera, medico tamen ſi opus eſt adiuuãte: hoc modo, ſanguis ex vulnere mediocriter fluere permittitur, eiuſdem oræ (cruore ſpongia, linteo, vel molli tomento deterſo, cauendo etiam ne quid extrinſecus intercidat) in vnum coguntur, oræ ita adductæ, vinculo decenti conſeruantur. Recentiores, vulneri ita coacto, albumen oui agitatum, & læui ſtupa exceptum, vt ipſum vulnus ab inflãmatione, intemperie calida, ſanguinis profluuio, & dolore vindicent, admouere ſolent.

Cap.10.lib.3. metho.

Quod ſi vulnus in carne maius fuerit, quàm vt eius labra vinculo committi poſſint, ſutura aut fibulis erunt adducenda & continenda: non tamen præproperè glutinanda, ne vulnus poſtea recrudeſcat. Iuniores puluere rubro (incarnatiuũ vocant) ex duabus partibus thuris, & ſanguinis drachonis parte vna parato, cui nõnulli calcis viuæ, alij boli armeniæ partes tres addunt, vulnus aſpergunt. Vel puluerem hunc cum oui albumine agitant, cuius poſtea partem linteo tenui exceptam, vulneri primum admouent: admouẽt preterea & ſtupas molles, eodem medicamento imbutas, & aliquando ouorum albnmina ſtupis excepta ſuperponunt, & ita partem vt decet vinciunt, illitis priũs roſaceo vulneris vicinis partibus, húncq; primum apparatum (vt vocant) ante diem quartum (niſi aliquod graue ſymptoma vrgeat) non immutant. Quòd ſi tum vulnus non

Pulueris rubri deſcriptio.

coaluerit,vino aſtringente calido abluunt, & ſtupas eodem vino imbutas,ei ſuperponunt.

Admoueri poterit vnguentum ex puluere rubro & terebinthina lota paratum. Ad cruenta vulnera & diuiſiones notatu dignas, emplaſtro nigro vtabatur Galenus, apud quem multa alia medicamentorũ genera,quæ idem effectum pollicentur, reperies, & multo plura apud Hollerium.

Galeni medicamẽt. ad cruenta vulnera.

Ad finem lib. 2. de com.ph.g.

Quod ſi ex vulnere propter eius ſitum ſanies effluere non poſſit, pars ita collocanda eſt vt vulneris orificium deorſũ ſpectet,id ſi fieri non poteſt, effluxum illi moliri oportet: aut tota eius cauitate diſſecta, aut in fundo tantum aperta: ſumpta indicatione ex vulneris magnitudine, & loci natura.

De mate.chirur.

Ad finem lib.3.

De vulnere cum ſubſtantiæ deperditione coniuncto.

IN vulnere cũ ſubſtantiæ deperditione,vt quãdo caro abſciſſa eſt,duo medico proponũtur, vnitio, & ſimilis ſubſtantię in deperditæ locum reſtitutio:quod etiam fit(ſi nihil extrinſecus impedierit)naturæ beneficio, ex ſãguine,quãtitate & qualitate laudabili, in parte iuſta & naturali temperie prædita. hoc tamen dum natura molitur medici auxilio etiam eget, qui & tenuius & craſſius excrementa (ſaniem & ſordem vocant) quæ humida & ſordida vulnera reddunt, exiccet

Cap.92.artis paruæ.

Cap.1.lib 4. meth.

Naturæ beneficio.

Vulnus agglutinari.

Naturam medici auxilio egere.

Cap.1.lib.2.de com.ph.9.

& detergea: admotis medicamentis, quæ ob id ſarcotica dicuntur, quòd iuſtã naturæ materiam cõparent, modicè detergendo & exiccando, ita tamẽ vt nõ nimis calefaciãt: eiuſmodi aut ſimplicia ſunt, vt thus, iris, ariſtolochia, erui farina, radix panacis, & ſimilia: aut ex his & ſimilibus cõpoſita: in quorum delectu, ratio habenda eſt temperamenti totius corporis, & partis affectæ. Itẽ ætatis, generis vitæ, & ſimilium. Nam in humidioribus & mollioribus corporibus, quæ minus exiccant, vt thus, magis conueniunt: in ſiccioribus verò quæ magis, vt ariſtolochia.

Quare medicamenta ſarcotica dicantur, quę detergeãt & exiccent.

Cap.3.li.3.met.

Vulnus igitur ab omnibus ſymptomatis vindicatum vino calente, abluitur, linteo mundo & molli excicatur, puluere aliquo ſarcotico aſpergitur, vel linamentũ vnguento ſarcotico imbutũ ipſi admouetur, deinde linteum, aut ſtupa ſicca, vel vino imbuta & expreſſa ſuperponitur, & faſcia decenter vincitur. quę auxilia æſtate bis in die, hyeme ſemel immutantur.

Cap.5.lib.3. meth.

Plenum vulnus cicatrice obducitur, quæ non aliter quàm caro opus eſt naturæ, adiutæ à medico, dum non ſolum affluentes humiditates, ſed etiam humorem in carne contentum, conſumit, & aliquid cuti ſimile inducit, medicamentis epuloticis: quæ ſiccant, aſtringunt, & ita cogunt, vt callum tenuem, cuti ſimilem inducãt: cuiuſmodi ſunt galla, malicorium, accatia, & ſimilia.

Cap.92.artis

Epulotica.

Epulotica varia ratione vſurpantur, alia enim in puluerẽ trita inſperguntur: alia emplaſtri forma tenacius hęrente, admouentur: alia verò vnguenti. de quibus vide Hollerium.

Inducta tamen cicatrix deformis eſt, quæ vel excreſcit, vel caua eſt, vel dura, vel mollis, vel inæqualis: excreſcit, parũ ſiccato vulnere: caua verò fit, quia nimium exiccatur, vel quia oſſis pars deeſt; inæqualis fit propter ſuturas, vel frequentiores, vel ineptas. Excreſcens ſcarificationibus reformatur, & catheręticis abſumitur, caua frictione corrigitur, dura remollitur, mollior exciccatur. Inæqualis verò lenientibus, mollientibus, diſcutientibus, exedentibus, & aliquando aſtringentibus medicamentis emendatur.

Cap. 4. lib. 1. de materia chir.

Deformis cicatrix quomodo emendenda.

Com. in aph. 45 lib. 6.

De vulnere cum contuſione.

SI contuſio cum vulnere coniũcta fuerit, prohibenda modis omnibus ad partẽ fluxio erit venæ ſectione, cucurbitulis, vinculis, frictionibus, & ſi opus erit, purgatione. Vulneri verò, digeſtiuum vulgo dictũ ex vitellis ouorum, & reſina terebinthina paratum, imponitur.

Contuſum vulnus.

Digeſtiuum.

Contuſæ verò partes, dolorem lenientibus vt oleo chamæmelino, vel liliorum illinendæ: ambitus contuſionis repellentibus, vt roſaceo, oleo myrtilorum, vnguẽto de bolo armeniæ, oxyrhodino, vngetur. Deinde, quoniam quę contuſa ſũt, ea curare oportet vt quàm citiſſimè ſupp urẽtur, vt ait Hipp. cataplaſmata ſuppurantia parti admouentur. Suppuratum vulnus detergetur melle roſato, mundificatiuo ex apio, vnguento Apoſtolorum. deterſum verò, impletur, admotis ſarcoticis, linamento in dies imminuto exceptis.

Contuſa ſuppuranda.

Li. de vlceribus.

Erthymoſis.

Tandem vbi plenum fuerit, claudetur cicatrice.

Com.in aph.20 lib.5. Cap.1.lib.4. meth.

Ecchymoſis eſt ſanguinis in ſpacia quæ circa vaſa ſunt effuſio: quæ vt plurimùm vnà cum contuſione & ruptione incidit, eius curatio ſanguinis illius extra vaſa effuſi, vacuatio eſt, quæ perficitur admotis medicamentis, calefacientibus, & modicè ſiccantibus.

Ad finem lib.4. meth.

De vulneribus venarum & arteriarum.

De venarum & arteriarũ vulnere.

DE vnitatis ſolutionis curãdæ ratione quæ ab externa cauſa inanimata in carnoſo genere fit, diximus, Sequitur vt de diuiſione quæ in venis & arteriis ab eadem cauſa fit, atque etiam de eiuſdem curatione dicamus.

Cap.2.lib.5. meth. Cap.7.lib.12. meth.

Venarum autem, & arteriarum continuitas ſoluitur ab externa cauſa vulnerante, acuta, incidente, contundente, graui & dura, vel multifariã rumpente tenſionis interuentu.

Arteriæ vulneratæ ſignum.

Venam autem aut arteriam diuiſam eſſe, indicat profluuiũ ſanguinis: qui ſi ſaliendo eruperit, tenuiórque ſit, calidior, & magis flauus, arteriã diuiſam eſſe certum eſt: ſi verò nigrior, vel rubicundus, craſſus, & ſine ſaltu fluat, venam.

In principio lib.1.loc.aff. & cap.7.li.5.met.

Quãdo ſanguinis profluuiũ periculoſum.

Copioſum ſanguinis profluuium è quocunque vaſe fluxerit periculoſum eſt, tum potiſſimũ quãdo vel cõuulſio, vel ſingultus, vel deſipientia illi ſuperuenerit. Qui hunc affectum curare voluerit, duos ſibi ſcopos proponat neceſſe eſt, quorum prior ſanguinem ſiſtendum, alter vero, vulnus glutinandum eſſe indicat.

Aph.3.lib.5. Aph.9.lib.7. Cap.2.lib.5. meth.

Sanguis fluēs ſiſtitur, aut

- *Quia non amplius ad partē affectā fuit, eius motu*
  - *Omnin ſedato, propter*
    - *Refrigeratione*
      - *Corporis toti⁹*
      - *Partis affecta*
        - *Animi deliquio.*
        - *Victus ratione refrigerante.*
        - *Frig med.*
          - *ſumpto.*
          - *admoto.*
    - *Partis affecta ſitum*
      - *Superiorem.*
      - *Indolentem.*
  - *Aliorſum conuerſo*
    - *Ad cõtraria quidem reuellendo*
    - *Ad vicina verò deriuando.*
      - *Venæ ſ ct.*
      - *Cucurb.*
      - *Frictione.*
      - *V incul.*
- *Quiā diuiſio occluſa & obturata ſit*
  - *Cõtractione, adductis nimirum vulneris oris*
    - *Manuum opera, vbi ad manum vulnus ſe exhibet.*
    - *Sutura, non ipſius vaſis, ſed cutis aut carnis diſciſſa.*
    - *Vinculo ducto verſus vaſorum radicem.*
    - *Admoto medic.*
      - *Refrigerante.*
      - *Aſtringente.*
  - *Obſtructione*
    - *Intrinſecus, à ſanguine concreto.*
    - *Extrinſec⁹ à*
      - *Carnoſis partibus, vt quando vas per tranſuerſum inciditur.*
      - *Cute.*
      - *Linamentis.*
      - *Medic.*
        - *Emplaſticis.*
        - *Cruſtā inducentibus.*
      - *Igni.*

Gal. à principio cap. 3. vſque ad cap. 10. lib. 5. meth.

Cap.4.lib.5. Met. Ad fluentem ſanguinem ſiſtendum, vulgò medicamētum pararur (ex Galeni conſilio) ex aloës partis vnius ſemiſſe, thuris parte vna, quæ vſus tempore cum oui albumine, ad mellis craſſitudinem ſubiguntur, & (miſtis moliſſimis leporis pilis) parti admouentur. Vel vt Auicenna vult, ex boli armeniæ, thuris, ſanguinis draconis, aloës æquis partibus, quæ vt ſuperiora cum oui candido & pilis leporis permiſta, parti admouentur.

Medicamentū ad ſiſtendum ſanguinem. ex Galeno.

Cap.18.tract.2. fen.4.lib.4.

Ex Auicenna.

Alij calcis viuæ, ſanguinis draconis, gypſi, aloës, thuris, vitreoli, pares portiones oui albumini & pilis leporinis (vt ante dicta) admiſcent, & parti admouent.

Sedato ſanguinis profluxio, vulneris agglutinationem iuuabimus, admotis iiſdem medicamentis quibus in carne glutinenda vtebamur, habita tamen temperamenti ratione: nam quanto vena carne ſiccior, & arteria mollior eſt, tanto ſicciora medicamenta quàm caro, & humidiora quàm arteria poſtulat.

Cap.7.lib.5. meth.

De neruorum vulnere.

NEruoſorum etiam corporum vnitas à cauſa externa, inanima ſoluitur, nunc à re aliqua, pungente, & punctio appellatur: aliâs à re acuta ceſim incidente, ſecūdum longitudinem, vel per tranſuerſum, omnino, aut aliqua ex parte: aliquādo à graui aliquo & duro corpore obtundente, & contuſio dicitur.

Sauciati nerui notæ.

Sauciatum eſſe neruum deprehēdemus, ex par

tis læſæ ſitu, ex ſenſus vel motus vel vtriuſque læſione, ex magnitudine doloris, quē phlegmone neceſſario conſequitur, niſi quis dolori medelam inueniat.

Quoduis neruoſæ partis vulnus magnum eſt, & graue propter cacoëthean, eóque deterius, ſi vel cacochymū, vel plethoricū fuerit corpus, nā & ingens dolor, & vigiliæ, & conuulſio, & febris, & delirium & phlegmone, ſæpe neruorum vulnera ſequi conſueuerunt, propterea quòd nerui exquiſito ſenſu prædicti ſunt, & cū parte principe conſortiū habent: quū omnes, aut ſtatim aut ſpinali medulla interueniēte oriantur à cerebro, quod illis & virtutem ſuppeditat, & compati aſſueuit.

Cap. 6. lib. 4. meth.

Nerui vulnus magnum.

Capi. 2. lib. 6. meth.

Cap. 4. lib. 6. meth.

Neruo igitur vulnerato æger in molli lecto ſitu conuenienti quieſcat, tenui victu vtatur, cui (ſi vires ferant) ſanguis detrahetur: non neglecta etiam purgatione, ſi corpus cacochimum fuerit.

Nerui vulnerati curatio.

Cap. 2. lib. 6. Meth.

Si neruus punctus, fuerit vulnus apertum retinere, & cutim in eiuſdem orificio (ſi anguſtius fuerit) latius incidere, vt ſanies liberius effluat cō uenit: & medicamenta admouere quæ tenuium ſint partium, modicè calefaciant, valenter (citra tamen dolorem) ſiccent, & trahendi vim habeant, de quibus Gal. copioſe lib. 3. comp. ph. g. Pars affecta oleo ſabino calēte, oleo veteri, oleo rutaceo, anethino, aut ſimili, bis aut ter in die fouebitur admota lana molli ſuccida. terebinthina etiā vulneri comodè admouetur, per ſe quidē in his qui molli carne ſunt, in aliis verò qui duriore, cū euphorbio. cōfert etiā ꝓpolis, & ſagapenū

Cap. 4. lib. 3 comph. 9.

Paul. cap. 54. lib. 4.

Cap. 2. lib. 6. meth.

Cap. 9.

Ætius. cap. 27. Serm. 2. li. 4.

& oppopanax,& lachryma cirenaica, & ſulphur viuum non lapidoſum, & calx lota.

Si inflãmatio ſuboriatur , conuenit cataplaſma ex farinis hordei,fabarum, & orobi, in lixiuio & ſyrupo accetoſo, aut in ſapa & aceto coctis. In putreſcentibus vero neruis, ex hordacea & erui farinis, in aqua lixiuia & aceto mulſo coctis,cataplaſma confert. confert & emplaſtrum quod recipit euphorbium , ceram & frixam reſinam,item id quod ex cera,reſina terebinthina, pice , & euphorbio paratur . In horum tamen dextro & conueniẽti vſu,temperamenti & molliciei corporis ratio diligenter habenda eſt.

Cap 2.lib.6. meth.

Dolor modis omnibus ſedandus . Imminenti conuulſioni occurrendum,capitis,colli,ſpinalis, medullæ, axillarum, & inguinis,fotu ex oleo liliorum calente,vel laurino,vel coſtino,vel ſimili aliquo parato.

Cap.3.lib.6. meth.

Quod ſi neruus cæſim vulneratus ſecundum longitudinem fuerit, cutíſque ita diſciſſa vt neruus nudus appareat,ab acribus omnibus propter neruiũ exquiſit ſenſum abſtinere, & iis quæ minima cũ mordicatione exiccant vti conueniet: vt calce elota multo oleo ſoluta . Salubre etiam eſt medicamentum quod ex pompholige fit , ſi largo roſaceo ſalis experte,ſolutum ſit.

Salubre item , quod ex optimo melle , roſaceo ſalis experte ſoluto , & cera elota paratur, quibus poteſt & aliquid terebinthinæ lotę, miſceri, cauendo diligenter ne quid ex iis quæ vulnus contingunt frigidum ſit.

Aph.18.lib.5.

Quod ſi ſordidum vulnus fuerit:detergendum

erit molli lana, ſiræo tepido imbuta, & ſpecillo circunuoluta. Licebit etiam & vino dulci vulnus ipſum abluere. Non negligendus etiam eſt diachalciteos, paſtillorũ Polydæ, Andronis, vel Paſionis vſus, ea tamen lege, vt robuſtis & duris corporib⁹ medicamẽta valentiora, imbecillis verò & mollioribus, mitiora admoueantur.

Si verò per tranſuerſum neruus vulneratus fuerit, maior conuulſionis metus impendet, phlegmone à diſſectis fibris ad non ſectas communicata: cęterùm vulneratis cęſim neruis tam per directum quàm per tranſuerſum eadem medicamenta conueniunt: his tamen quam illis largius ſanguis detrahendus, & tenuior viuendi lex, & maior atque mollior quies imperãda, caput, collum, ſpinalis medulla, alæ (ſi in brachio aut ſumma manu fuerit vulnus) inguina (ſi in crure, tibia aut pede) oleo aliquo calido imminente conulſione, illinenda. Quod ſi totus præciſus neruus ſit, metus pręterea nullus inſtat, mutila tamen & debilis pars manebit: eius verò curatio communis eſt, cum ea quæ aliorum eſt vulnerum. *Cap.3 lib.6. meth.*

Nerui contuſi, vbi cum his quoque vna cutis contuſa exulcerataque eſt, medicamentum ſiccãs & leuiter partes diſſitas contrahens conſtringẽſque poſtulant, quale eſt quod ex oxymelite & fabacea farina conficitur, quod etiam dolorem ſedabit, admiſta pice liquida omnia ſimul bene coquendo. Siccabit verò adhuc magis iniecta erui farina, aut iride illyrica. *Cap.3.lib.6. meth.*

Recentiores roſaceum cum oui albumine in principio admouent, deinde vulnus vino tepen-

te fouent. Si verò ſine cutis affectione neruí contuſi fuerint, oleo aliquo calente quod diſcutiendi vim habeat, vt chamæmelino, irino, rutaceo, (habita ſemper totius corporis ratione) profundentur.

De vulneribus tendonum.

Cap.4 lib.6. meth.

VVlnerati tendones quorũ ſubſtãtia ex neruis & ligamẽtis miſta eſt, eadem ratione curãtur qua & nerui, ſed medicamentis paulo vehementioribus ſumpta indicatione à partis natura, quatenus enim ligamentorũ naturæ ſunt participes, eatenus in eis ſenſus acrimonia hebetatur, atque ob id vehemẽtiora & ſicciora medicamenta ferunt.

De ligamentorum vulnere.

Cap.4.lib.6. meth.

Cap.4.lib.3. de comp.ph.9.

Quare medicamenta fortia ligamentum tolleret.

LIgamenta neruis & tendonibus ſimilia ſunt, quatenus & alba ſunt, & exanguia, & cauitate carentia, & in fibras diuidantur: harum tamen trium partium vulneratarum curatio, diſſimilibus medicamentis fit. Nam ligamẽta, quum pręſertim ab oſſe ad os perueniant, valentiſſimorum remediorum vim tollerant, tum quòd ſenſus ſint expertia, tum quòd cerebrum non pertingant, ita vt quibuſlibet medicamentis ea ſiccare ſine offenſione liceat. quæ verò in muſculum ſe inſerunt, tanto reliquis ligamentis magis terrere debent, quanto ſint neruis & tendonibus minus periculo oportuna.

De morſu & ictu animalium

DE vulneribus quæ maximè per tela inferũtur, dictum eſt, ſequitur vt de his dicamus quæ animalium morſu vel ictu fiunt, è quibus, (quũ venenata ſint) virus ante omnia foras euocare oportet, ſuctu, cucurbitulis, corniculis, medicamentis attrahentibus cauteriis, & ſimilibus: deíde vulnus vt reliqua vulnera curare, & ſuperuenientibus ſymptomatis, vt antea dictum eſt, occurrere.

Celſ. cap. 27. li. 5. Gal. cap. 6. lib. 13 methodi. Paulus cap. 2 li. 5. & Aëtius cap. 10. Serm. 1. lib. 4.

Quid primum in morſu & ictu agendum.

Si leuior plaga fuerit, poſca calẽte primo proluitur, deinde venenũ ſuctu attrahitur, & expuitur. Qui verò ſugit, neq; ieiun' ſit, nec os aliquo modo vlceratũ habeat: ſed & os ipſum vino colluiſſe, & in eo oleum continere debet. Cõmodè etiam tam leuibus quàm vehementibus morſibus, & cucurbitulæ, & cornua admouentur, vicinis partibus, leuiter ſcarificatis. Iuuat ſtatim poſt cucurbitulas, animalia parua diſcerpta, intus adhuc calentia, vt catellos, gallinas, hœdos, agnos, porcellos, plagæ imponere. Sauciatam etiam partem adurere, & aliquando omnino præcidere cõuenit, ſi fera quæ momordit lethalis fuerit, vt vipera, aſpis, ceraſtes. Cõmodè etiam morſui pro cataplaſmate cinis ficulneus, ſarmentorum, vel braſſicæ aceto ſubactus imponitur. confert ſal, ſalſamentum, allium cum melle, acetum calidum, in quo nepita ſit incocta: præter opinionẽ facit ex viperis theriace Andromachi, emplaſtri

modo impoſita: item emplaſtrum ex dictamo, & ſimilibus attrahentibus compoſitum.

Potiones exhibendę ex theriaca, mithridatio, & ſimilibus, cor & partes nobiles roborantibus. Vomitiones, vt ait Ætius, tepidę aquæ hauſtu ciendę, & æger vigiliis aſſeruandus. ſudores mouendi, & vrinę. Purgatio omnibus conuenit, & ſi venenũ per corpus fuerit diſperſum, ſanguis ſtatim commodè detrahitur.

STEPH. GORMELENI Synopſcos Chirurgiæ Lib. III.

De Vlceribus.

DE vulnerum natura, differentiis, cauſis, ſignis, & curatione breuiter diximus, ſequitur vt de vlceribus propriè dictis eodẽ ordine differamus: quòd vtriuſque affectus tanta ſit affinitas, vt vulnera in vlcera ſæpenumero trãſeant.

Quid vlcus.

Quid vlcus. Cap.6. de conſti. artis.

Eſt autem vlcus propriè, vt ait Gal. vnitatis ſolutio in parte carnoſa ab eroſione excitata.

Vlceris differẽtiæ vnde deſumptæ.

Eius vero differentię ſumuntur, nunc ab ipſius vnitatis ſolutionis (quemadmodum & in vulneribus) eſſentia, aliâs ab eiuſdem vlceris cauſis, aliâs verò ab eius exitu, tempore, ſitu, more, aliquando ab affectionibus præter naturam illi con iunctis, aliâs ab aliis rebus, vt videre licet apud Gal. lib. 2. meth.

Vlceris differentiæ ſumuntur ab ipſius

- *Eſſentia, quæ ĩ quãtitate poſita eſt, vnde dicitur vlcus*
  - *Mãgnum, quia*
    - *Longum.*
    - *Latum.*
    - *Profundum.*
  - Mediocre.
  - *Paruum quia*
    - *Breue.*
    - *Anguſtum.*
    - *In ſuperficie hærens.*
- Cauſa
  - *Efficiente*
    - *Interna* — *Vlcus.*
      - *In parte impacta, cacochymum*
      - *Ad partem fluente reumaticum*
    - *Externa* — *Vlcus.*
      - *Acri medicamento Igni, aut re ignita* — *ambuſtum*
      - *Atterẽte, ĩtertriginoſũ*
      - *Cõtagione, cõtagioſũ*
  - *Materia*
    - *Ex qua, vt ex materia antecedente* — *Vlcus.*
      - *Pituitoſa, pituitoſum*
      - *Bilioſa, bilioſum*
      - *Melãcholica, melãcholicũ*
    - *In qua, vt in parte ſubiecta*
      - *Similari, vt* — *Vlcus.*
        - *Cutaneũ In carne*
        - *In mẽbranis, ĩ aliis carnoſis partibus*
      - *organica, vnde dicitur vlcus*
        - *Capitis. oculi. narium. oris. faucium. gutturis. pulmonis. hepatis. inteſtinorũ. vteri. ani. pudendi. ſcroti. inguinum. cruris. tibiæ. pedis. muſculi. & aliarum partium.*
  - *Forma ſiue figura à qua maximè ꝓprias differẽtias ſumit Gal. vnde dicitur vlcus*
    - *rotundum.*
    - *rectum.*
    - *obliquum.*
    - *vncum.*
    - *ſinuoſum.*
    - *cuniculoſum.*
    - *pampini modo intortum.*
    - *æquale. inæquale.*

Sumuntur et alia vlcerum differẽtiæ minus tamẽ propriæ, vt ab

- Exitu
  - Sanabile
  - Lethale
- tempore
  - Recens
  - Vetus
  - } Vlcus.
- Situ in parte affecta quatenus eius pars aut totum vlcus
  - Conſpectum fugit.
  - Conſpiciendum ſe præbet.
- More vnde dicitur vlcus
  - Benignũ.
  - cacoëthes.
  - fraudulẽtũ.
  - rebellum.
  - ferinum.
  - dyſepulotum.
- Aliis præter naturã affectionibus cũ vlcere ipſo cõiunctis, vt à
  - Morbis
    - Similariũ partium, id eſt, intemperie
      - Simplici vnde dicitur Vlcus
        - Calidum.
        - Frigidum.
        - Humidũ.
        - Siccum.
      - Compoſita, vnde dicitur vlcus
        - calid. humid.
        - Calid. ſiccũ.
        - Frig. humid.
        - Frig. ſiccum.
    - Partiũ organic. incõmoderatione
      - Exceſſu, ſuperexcreſcens.
      - defectu, cauum. aſperitate aſperum.
    - Ab incommoderatione & intemperie ſimul
      - Phlegmonoſum.
      - œdematoſum.
      - eryſipelatoſum.
      - ſcirrhoſum.
      - varicoſum.
      - calloſu, & ſimilia.
  - Symptomatis, quorum alia
    - affectiones quædam ſunt, quæ deprehenduntur
      - Tactu vel ægri, vel medici
        - Dolorificum.
        - durum. rugoſum.
        - laxum. ſtupidum.
        - glabrum.
      - Viſu
        - Albicans.
        - nigrum. flauum.
        - rubrum. liuidum.
        - decoloratum.
      - Odore
        - Fœtidum.
        - virulentum.
        - graueolens.
    - Ab excrementorum ſubſtantia, qualitate, aut quãtitate ſumitur, vnde dicitur vlcus
      - Verminoſum.
      - ſanioſum.
      - purulentum.
      - ſanguinolentum.
      - ſordidũ. achoroſũ.

Sũt adhuc pticulares vlceris differentiæ variè nominatæ, vt chironiũ, telephium, cãcroſum, partim ab iis qui primũ ea ſanarunt, partim ab iis qui iiſdem fuerint affecti, partim ab animalis ſimilitudine. cap. 2. lib. 2. method.

De vlcerum cauſis.

VLcus, aliâs ab internis, aliâs ab externis cauſis ortũ habet. Interna vlceris cauſa vitioſus aliquis ſuccus, excremẽtúmve eſt, quod vel in toto corpore, vel in affecta, vel in alia corporis parte generatur. Externa vero aut medicamentum valens eſt, aut ignis & res ignita, aut attritio, aut contagio.

Cap 10. lib de cauſis morborum.
Cap. .lib. 4. meth.
Duplex vlceris cauſa.

Cauſæ vlceris
- *Internæ, vt humores vitioſi & corrupti propter vitiũ*
  - *Totius corporis.*
  - *partis vlceratæ.*
  - *Partis alicuius ad partem affectam excremẽta mittentis, vt*
    - *cerebri.*
    - *vẽtriculi.*
    - *hepatis.*
    - *lienis.*
    - *varicis.*
    - *alterius partis.*
- *Externæ, vt*
  - *medicamentum acre.*
  - *ignis vel res ignita.*
  - *attritio.*
  - *contagio.*

De Vlcerum ſignis.

Vlceris dignotio.
Com. in aph. 3. lib. 1. de eff. medici.
Lib. 1. & 3. de loc. aff.

SIgna, ad quę medicus in vlcerum curatione maximè animaduertere debet, aut affectum & eius naturam, aut affectionis exitum, demonſtrant: illa diagnoſtica, hæc vero prognoſtica vulgò dicuntur. Vlcus igitur ſi in aperto & propa-

tulo fuerit,& viſu,& tactu adhibito rationis iudicio facilè deprehenditur. Quod ſi in intimo & receſſu corporis ſitum fuerit, ex doloris proprietate, ex loci & ſitus natura, ex accidentibus propriis, ex excrementis, ex his inquam ſimul omnibus, aut ex horum nonnullis (nam in omnibus morbis, notas pathogmonicas ex affectionũ cõcurſu colligere non licet) ipſum vlcus & etiam partem affectam (ſi actionis læſæ rationem habuerimus) facilè dignoſcemus.

Lib.1.& 3.de loc. aff.

Lib.1.lo aff.ad finem.

Vlceris interni ſigna diagnoſtica ſumuntur à

- *Doloris proprietate, vt ex dolore exulcerante. Situs & loci natura, quod quædã partes peculiares quoſdam morbos habent, ſic nares oζæna tentantur, pulmones phthoë.*
- *Propriis accidentibus, ſic incurui vngues pulmonis vlcus indicant. aph. 60. lib.2 prognoſt.*
- *Excrementis, vt ex*
  - *Excreſcẽtia illa quæ vlceri adnaſcitur à græcis* ἰφιλκὶς *dicitur.*
  - *Fruſtulo tunicæ membranoſæ, aut vaſorum.*
  - *Pure.*
  - *Sauguine.*
  - *Squamula.*
  - *Carunculis.*
  - *Cartilagine.*

Lib.1.loc aff.

In principio lib. 1.prognoſticon.
Cap.6.lib.10. meth.
Com.in aph.3 li. 1.de ratione vict. in acut.

Et quoniam prænotio ad vlcerum etiam curationẽ neceſſaria eſt, ideo & de iis ſignis quibus

curatu facilia aut difficilia, ſanabilia vel inſanabilia vlcera eſſe, prænouiſſe poſſimus, eſt dicendum.

Vlcerum autem prænotiones potiſſimæ & maximè vulgares, partim ex ſubiecta parte, partim verò ex humore ad partem influente deſumũtur: habita tamen ratione ipſius vlceris eſſentiæ (quę in quantitate poſita eſt) figuræ, morborum vlcus comitantium, & ſymptomatum, quæ & viſu, & tactu, & odore, & ſapore deprehenduntur. Item partis affectæ temperamenti, formationis, ſitus, & virtutis, ipſiúſque ægri ætatis, ſexus, & vitæ generis. Item anni partis, aëris conſtitutionis, & ſimilium.

Cap.1.lib.4. meth.

Vlcerum prænotiones.

Si igitur vlcus fuerit paruum aut mediocre, non rotundum, ἀπερίςατον, in parte quæ quieſcere poſſit: curatu facile erit, contra vero ſi vel magnum vel rotundum fuerit vlcus: vel pars ipſa vlcerata, intemperata, aut cacochyma; vel infecta, maligna quadã qualitate, qua humores (alioqui laudabiles) ad ſe fluentes corrumpat: vel per eam acria excreméta cõtinuò tranſeant: vel in perpetuo motu poſita ſit: vel humor ipſe qui influit quantitate deficiat, aut exuperet: vel qualitate manifeſta, ídq; variis modis, aut occulta peccet: vel ſi ipſi vlceri morbi curatu difficiles, aut grauia ſymptomata coniungantur.

Cap.6.lib.4. meth.
Alexander Aphrodiſ. proble. 99. lib. 1. & Caſſ. problem. 1.
Com. in aph. 8. lib. 6.
Cap. 23. lib. 1. com. ph. g.
Cap. 8. lib. 5. meth.
Com. in aph. 3. lib. 3.
Cap. 23. lib. 1. de comp. ph. g.
Alexād proble. 111. lib. 1.
Cap. 8. lib. 3. & com. in aph. 37. lib. 7.
Cap. 2. lib. 4. methodi.
Cap. 1. lib. 4. co. ph. g. co. in aph. 45. lib. 6.
Cap. 1. lib. 4. meth.
Vide Hipp. lib. de medico.

Accidit itaque vt difficilius curētur vlcera

- *Magna* / *Rotūda* } *propter ipſius vlceris* { *eſſentiam.* / *figuram.*
- *Hydropicorū.* / *Cacoethe propriè dicta.* / *Pulmonis.* } *propter partis affectæ* { *intēperiem.* / *Malignam qualitatē.* / *perpetuum motum.*
- *Senū, ob ſanguinis defectū.*
- *Dyſepulota propter cōfluxum humorum* { *multorum.* / *acrium.*
- *Renum & veſicæ, propter excrementi continuò tranſeuntis acrimoniam.*
- *Inflammata* / *Coniuncta cum* } *varicibus* / *oſsiū corruptione* } *propter morboſu vlceri materiam ſuppeditantes.*
- *ſordida, dolorifica, circūglabra, ſquamoſa, circūdura, decolorata, cum febre coniuncta,* { *ob ſymptomata quæ conſequuntur, vel ſubiectæ partis intemperiem, vel humoris ad eam fluentis vitioſam qualitatē, aut quātitatem: ob has enim tres cauſas vlcera omnia ægrè ſanari ait Gal. Nam ob has eaſdem cauſas vel in profundū viam affectant, fiuntque excauata & fiſtuloſa: vel in altū, ſuperexcreſcente in eis carne: vel in latitudinem ſerpunt.*

Sunt præterea & alia ſigna ex quibus quantũ curato efficiat, quãtumque aut ſperari aut timeri debeat intelligi poteſt. Nam bona ſigna ſunt ſomnum capere, facile ſpirare, ſiti non confici, cibum non faſtidire, ſi febricula fuit ea vacare, item habere pus album, leue, non fœdi odoris.

Cel. cap. 3 lib. 7.

Bona vlceris ſigna.

Mala ſunt, vigilia, ſpiritus grauitas, ſitis, cibi faſtidium, febris, pus nigrum aut feculentum, & fœdi odoris: Item procedente curatione, eruptio ſanguinis: aut ſi antequam ſinus carne impleatur, oræ carnoſę fiant. malum etiam eſt ſi ſoluto morbo ſuppuratio exoriatur, ſi rodẽtium ſenſus in vlcere non eſt, & omnium peſſimum animam deficere, vel in ipſa curatione vel poſtea.

Mala ſigna.

De Vlceris ἀπεριστάτου *curatione.*

VLcus propriè vnitatis ſolutionem in parte carnoſa ab eroſione excitatam eſſe anteà dictum eſt: in eo autem duplex vitium neceſſariò eſſe nunc dicimus videlicet vnitatis diuortium, & cauitatem: quum eroſio ſine cauitate eſſe non poſſit authore Galeno, & experientia rationi ſuffragante. Vnde medico qui legitimè vlceris ἀπεριστάτου curationem aggreditur, duo ſtatim proponuntur ſcopi, prior eſt cauitatis repletio, alter verò ſolutę vnitatis coniunctio, atque coalitus. Vtriuſque opifex, ſubiectorum corporum temperata ſubſtantia eſt: materia verò ſanguis quantitate & qualitate laudabilis.

Quòd vlcus ἀπεριστάτου duplex habeat vitium.

Eroſionem non eſſe ſine cauitate.

Cap. 4. lib. 4. meth.

Cap. 2. & 4. lib. 3. meth.

Cap. 3. lib. 3. meth.

Paul. cap. 40. lib. 4.

Subſtantia igitur tum totius corporis, cum par-

tis vlceratę,ſi temperata eſt, ſui conſeruationem poſtulat,aere temperato:cibo & potu,ſomno & vigilia mediocribus & temperatis: excrementorum vacuatione:&partis affectę quiete,cauendo à grauioribus animi pathematis.

Ad quę omnia attentus ſit neceſſario medicus, in ſalubri partis ſtatu ſimilibus conſeruando, & in deperdito contrariis, cum dieta, tum medicamentis reſtituendo. Sanguis verò laudabilis ſi adeſt,iiſdem rationibus conſeruatur: ſi defuerit,alimentis boni ſucci & copioſis augetur: ſi abundauerit,venę ſectione minuetur: ſi qualitate peccauerit,cõtraria qualitate emendabitur: exuperantes etiã ſucci,ſi qui in ſanguinis maſſa fuerint,cõuenienti purgatione vacuabũtur. Verùm

Cap.3.lib.3. meth.

dum natura ex ſanguine ipſum ſpargendo,apponendo, agglutinendo, & aſſimilando, id eſt coquendo, cauitatem producta carne implet, duplex neceſſariò excrementum naſcitur, alterum humidius (ἰχὼρ appellatur) alterum vero craſſius (& ῥύπος dicitur) humidius humidũ reddit vlcus: craſſius vero ſordidũ, vtrũq; quum præter naturam ſit, & eius actionem impediat, ſuo contrario tollendum eſt.

Cap.10.lib.2. com.ph.g.
Cap.3.lib.3. meth.
Cap.7.lib.4. com.ph.g.
Sarcotici medic.latitudo.

Humiditas igitur exiccanda erit, & ſorditudo detergenda, vtrunque autem cõmodè fiet medicamento ſarcotico,quod modicè deterget,ſiccat primo gradu,vel ita vt ne nimis calefaciat. Sed huius magna eſt latitudo in humiditate & ſiccitate,caliditate & frigiditate. Thus enim, & hordei farina,& fabacea, minus & exiccãt & detergent:raſina verò terebinthina,abietina, mel de-

ſpumatum, mel roſ. pompholyx, paulo poten-
tius agunt, multo adhuc vehemētius, erui farina,
ariſtolochia, iris, myrrha, oppopanax, & ſimilia:
quorum omnium conuenientem & legitimum
vſum deprehendet prudens medicus, ſumpto
conſilio ex totius corporis & partis vlceratæ na- *Cap.8. & .9. li.*
tura, eiuſdémque partis ſitu, formatione & vir- *3. & cap.7. li.4.*
tute. Item ex humiditatis & ſorditiei copia. Cor- *meth.*
poris enim temperamentum, quanto eſt humi- *Cap.2. lib. ad Glauc.*
dius, tanto quod minus ſiccet medicamentum, *Cap.7. lib.4.*
poſtulat: & partes internæ vel acutè ſentientes, *com.ph.g.*
non tam vehementia ferunt medicamenta, quā *Cap.7. lib.4.*
externæ, aut hebetiores. Vlcus verò quo eſt hu- *meth.*
midius, medicamento quod magis ſiccet eget,
nam vt natura partis ſimilia, ita vlcus contraria *Cap.10. lib.5.*
poſtulat. Ad hæc in vlceribus internis, ad medi- *meth.*
camenti proprietatem reſpiciet etiam medicus,
in quibus ea eligenda ſunt medicamenta, quæ a-
nimalis naturæ familiaria ſunt, & nullam viſceri-
bus noxam inferunt: contraria vero fugienda, vt
copioſè demonſtrat Galenus lib.4. meth. *Cap.7.*

Repletum verò vlcus tegendum eſt cicatrice, *Cap.92. artis.*
quæ nihil aliud eſt quàm calloſa caro pro cute *med.*
inducta: quæque non aliter quàm caro opus na- *Quid cicatrix*
turę eſt, à medico adiutæ, dum pleno vlceri me- *Paul.ca.45. li.*
dicamenta carnem citra morſum & eroſionem *4. Gal.cap.15.*
ſiccantia, aſtringentia & reprimentia admouet, *lib.5.meth.*
huiuſmodi ſunt aloë, plumbum vſtum, galla im-
matura, malicorium, carta papyracea vſta, ane-
thum vſtum, cucurbita ſicca & vſta, ſanguis dra-
conis, molybdæna, lithargyros, pompholyx, æs
vſtum, ſquama æris, cadmia vino elota, & ſimi-

lia de quibus copioſè Gal.lib.4. de comp.ph.g.

Lib.4.comp. ph.g.

In horum etiam vſu indicatio ſumitur à natura partis,quæ quo ſiccior fuerit,eo ſicciora medicamenta poſtulat.

De vlcerum quæ grauiori incommoditati,coniuncta ſunt curatione.

DE vlceris ἀπεριστάτου curatione diximus, ſupereſt vt de eorum vlcerum curatione quæ cum aliis præter naturam affectionibus coniuncta ſunt,breuiter aliquid dicamus.Iunguntur autem vlcera aut ſuis cauſis efficientibus, aut aliis morbis,aut ſymptomatis,quæ tria, vlceris ipſius curationem niſi tollantur, impediunt: habent enim rationem aut illius ſine quo non, aut vrgẽtis.Cauſa igitur effectrix vlceris ſi adeſt,ab ea incipienda curatio eſt,hanc aut internam, aut externam eſſe,ſuprà diximus.

Cap.9.lib.3. meth.

Cap.4.lib.4. meth.

Cap.de vlcerum cauſis ſup.

Externa nulla arte vt tollatur eget: interna vero difficilius tollitur:eſt enim ſoboles vitioſi ſucci,qui aut in toto corpore,aut in parte affecta (propter eius vitiũ) aut in aliis partib⁹,vt in cerebro,hepate, liene,vel alio quouis mẽbro, gignitur, & ad affectam ipſam partem fluit, In affecta parte gignitur vitioſus ſuccus, aut propter manifeſtam qualitatem,vt propter intemperiem calidam,frigidam,humidã, ſiccam, aut propter malignam, vt in iis vlceribus quæ propriè cacoëthæ dicuntur. Si igitur in parte intemperies fuerit, ea quamprimum ſuo contrario amouenda, calida quidem frigidis,humida verò ſiccis:& contrà.

Cap.1.lib.4. meth.

Cap.4.lib.4. meth.

Cap.23.li.1. & cap.1.lib.4 com. ph.g.

Quòd ſi vitio aliquo maligno partis, humores ad eam fluentes corrumpantur, ibíque vlcus cacoëthes excitauerint: humorum fluxum primò modis omnibus impedire, deinde partem ipſam affectam, citra exaſperationem, mordicationémque, exiccare oportebit: quod accuratè fieri non poteſt ignorante medico, quem effectum admotum medicamentum oſtéderit: commodè igitur ab erodentibus & aſtringentibus incipiemus, quorum vehementiam, vlceris ſordes & humiditas obtundent. Et quoniam horum medicamẽtorum magna latitudo eſt, attendendum erit, quantũ primus eorum vſus humiditatis in vlcere deſiccauerit, vel ſi ſordes in eo ſint, quantum harum quoque abſterſerit. atque ita ſecundùm tertiúmque vti illo debebimus, donec purum & ſiccum vlcus apparuerit, tum enim alio medicamento, eiuſdem quidem ſpeciei, ſed priore imbecilliore, erit vtendum, quoad natiua partis ſiccitas reſtitùta ſit. Quòd ſi hoc medicamẽtis fieri non poſſit, totam partem affectam ſcalpro excindere, vel adurere igni, aut medicamentis cruſtam inducentibus cogimur, iuxta vetus decretũ. Quæ non ſanant medicamenta, ſanat ferrũ, quæ ferro non curantur, ignis curat.

Vlcus cacoëthæ. *Cap. 1. lib. 4. comp. ph. g.*

Aph. 91. lib. 7. aphoriſm.

Si verò non vitio partis, ſed propter humorũ vel multorum, vel acrium confluxum, vlcus ortũ fuerit, id dyſepulotum propriè appellatur: quod non ante curationem recipiet, quàm eius etiam cauſæ ſublatæ fuerint. Plenitudo igitur ſi in corpore fuerit, quamprimum venæ ſectione tollenda erit. Quòd ſi corpus cacochimũ fuerit (cuiuſ-

Cap. 23. lib. 1. & cap. 1. lib. 4. comp. ph. g. *Vlcus diſepulotum.* *Cap. 2. & 4. lib. 4. method.*

cunque partis occaſione id acciderit) purgãdum erit medicamentis conuenientibus, per loca con ferentia: ipſæ deinde partes, quarũ occaſione corrupti humores, ad vlcus influũt, percurãdæ: mox ad vlceris ipſius curationem accedendum. curabitur autẽ medicamentis citra morſum exiccantibus, quemadmodum & vlcus cacoëthes.

Cap.3.lib.4. com.ph.g.

Cap.1.lib.4. com.ph g.

Vlcus verò cum morbo qui ipſum fouet coniunctũ, vt cum inflãmatione, cũ varicibus, aut cũ alio ſimili, non antè curari poteſt, q̃ morbus ille (qui rationẽ habet eius ſine quo nõ) ſanatꝰ fuerit.

Cap.2.lib.4. meth.

Sæpe etiam vlcus iungitur ſymptomatis, quæ aliquãdo tam grauia ſunt, vt omnem medici ſolicitudinem ad ſe neglecto ipſo vulcere conuertant, & tum vrgentis rationem habent: eiuſmodi eſt dolor, qui & fluxionem (a qua & ipſe rurſus augetur, & dyſepulotum ſit vlcus) excitat, & inflammationem, vel eryſipelas acerſit, & etiam ſæpe conuulſionem, animi deliquium, & ſimilia. ideo modis omnibus (quemadmodum & in tumorum curatione diximus) eſt demulcendus.

Cap.7 lib.3. method.

Sordes copioſiores ſi in vlcere fuerint, detergentibus tolluntur, quemadmodum & humiditates exccicantibus. Carnis vero excreſcentiæ, acribus & demolientibus, id eſt calidis & ſiccis medicamentis tolluntur.

Cap.6.&7.lib. 3. metho. Cap.1.lib.5. meth.

Vlceris labra ſi calloſa & dura fuerint, exciduntur ad ſanam vſque partem: vicinæ verò vlceris partes decoloratæ, ſcarificantur.

Cap.2.lib.4. meth.

Idem omnino de reliquis cauſis, morbis, & ſymptomatis vlceribus coniunctis (quæ ipſorum vlcerum curationem impediunt, eſt cenſendum.

STEPH. GORMELENI Synopſeos Chirurgiæ Lib. IIII.

De fracturis.

DE carnoſarum partium vitiis quæ manus auxilium deſiderant, diximus: nunc ad ea quæ oſſibus accidere conſueuerunt (in quibus præcipuè veteres medici exercitati erant) veniam. Omne autem os vbi iniuria acceſſit aut frangitur, aut loco mouetur, aut vitiatur. *Com. in aph. 23. lib. 1. de artic.* Fractura *Cō. in aph. 1. lib. 1. de fract.*

Frangitur autem os, dum eius vnitas ſoluitur, à cauſa externa findēte, ſcindente, rumpente, collidente vel forante. *Paul. cap. 89. li. 6. Com. in aph. 9. lib. 2. de fract. & cap. 6. de conſtit. artis. ca. 11. de morb. cauſ.*

De fracturæ differentiis.

FRacturæ autem differētias (quamuis & plures ſint, & varia nomina ſortiātur) duas tantum conſtituit Galenus, ex mente Hippocratis. Prior eſt, quando os per tranſuerſum frangitur, altera quando vt lignum in longitudinem finditur. Celſus verò tertiam quæ per obliquum fit, addit. *Apud. Paul. cap. 89. lib. 6. Cap. 5. lib. 6. meth. Cap. 7. lib. 8.*

De fracturæ cauſis.

FRacturæ cauſæ quatuor maximè generales ſunt, prima eſt, corpus durum & graue contundens: ſecunda, corpus acutum incidens: tertia caſus ex alto collidēs: quarta luctatio cōtorquēs. Fracturæ differentiæ. *Com. in aph. 9. lib. 2. de fract.* Fracturæ cauſæ.

De fracturæ ſignis.

Fracturæ notæ.

Celſ.cap.10. lib.8.

Auicen.cap.1. tract.2.fen.5. lib.4.

Com.in aph.6. lib.2.

QVoniam verò affectionis notitia, ad eius curationem neceſſaria eſt, ideo de notis, quibus fractura dignoſcitur eſt dicendum. Deprehenditur autem os fractum ſenſuum iudicio: nam & partes oſſis ſeparatę reperiuntur, & figura inæqualis & reſima membri, quod dum manu variè tractatur, ſtrepitus ex ipſorum oſſium colliſione auditur: æger vero à çauſis frangentibus laceſſitus, dolorē in parte affecta (cui haud quaq̃ inniti poteſt) ſentit. Nec ſolũ fracturæ dignotio, ad eius curationē medico neceſſaria eſt, ſed & qualia ex fracturis pericula immineant, & quàm diuturna earum curatio futura ſit, eum etiam nouiſſe oportet, vt & in his curationis longitudinem, in illis verò paucàm ſpem & multa pericula prędicere, atque omnem vbique calumniam effugere poſſit.

Periculoſæ fracturæ vnde deprehendūtur.

Hipp.lib.de fract.

Celſ.parti.cap.10.lib.8.

In fracturis periculum imminens deprehenditur ex ipſius oſſis fracti magnitudine, figura, connexione, & ſitu: ex fracturę genere & magnitudine, item ex morbis & ſymptomatis fracturā ipſam concomitąntibus. Quò fit vt periculoſæ ſint fracturæ quoties oſſa fracta extra eminent, præſertim quum ea & magna ſint, & multum medullæ habuerint, & quæ ſimul vulnerantur multa ſunt, & magni momenti, vt nerui, muſculi, & venæ. Periculoſa etiam fractura eſt, iuxta articulos, aut in ipſis oſſium capitibus. Periculoſior quoties oſſa fracta in interiorē partem flectuntur &

tur & vergunt.

Fractura item magna periculoſa eſt: periculoſa etiam, quoties oſſa fracta aculeata ſunt, aut in plura fragmenta diuiſa. Item quando cum partium vicinarum inflammatione, cum neruorum diſtenſione, cum febre acuta, aut cum grauibus aliis ſymptomatis coniuncta fuerit.

Diuturnitas curationis fracturarum intelligitur, ex fractorum oſſium temperamento, ex magnitudine cùm oſſium, tum fracturarum, ex victus ratione. Vnde accidit vt oſſa quò duriora aut ſicciora fuerint, eò difficilius ferruminētur, contra quò molliora aut humidiora, vt puerorũ oſſa, facilius. Quò etiam maiora oſſa fuerint, eo longius tempus vt coaleſcant, poſtulant, vt os cruris quod non ante quinguaginta dies conglutinatur. Oſſa vero tibiæ & brachij, breuiori tempore coaleſcunt, nimirum quadraginta diebus. Maxilla autem, malæ, iugulum, pectus, os ſcapularum, coſtę, ſpina coxarum, os tali, calx, manus, planta, ante vigeſimum diem (vt ait Celſus) ſaneſcunt.

Diuturna fracturæ curatio quare.

Cap. 5. lib. 6. meth.

Cap. 91. artis medic.

Aph. 68. lib. 2. de fract.

Aph. 65. lib. 2. de fract.

Cap. 7. lib. 8.

Remorantur etiam oſſium glutinationem, alimenti viſcidi inopia, frequens aquę calidę perfuſio, eorum quę fracturæ admouentur, vt faſciarum, ſpleniorum, & ferularum crebra mutatio, fracturæ nimia coarctatio, & præpoſterus vel inordinatus, membri affecti motus, anni tempus, regio, & ſimilia.

Auicenn cap. 1. tract. 2. fen 5. lib. 4.

Paul. cap. 110. lib. 6.

Com. in aph. 42. lib. 1. de fract.

De fracturæ curatione.

Cap.5. lib.6. meth.
Cap.12. de conſtitu.artis.
Quatuor medici actiones in fractura curanda.
Com in aph.1. lib 1.de fract & in aph.19. lib.1. de off.med.
Extenſio 1.
Coaptatio 2.
Deligatio 3.
Depoſitio 4.
Cap. 91. artis medic. & com. in aph.41.lib.1. de fract.
Victus ratio in fracturis.

PRęcipuus in fractura curanda medici ſcopus ſolutarũ oſſis partium vnitio eſt: quæ ſi propter partium ſiccitatem per ſe fieri non poſſit, reſtat vt alterius interuentu fiat. Vnitio autem illa quamuis naturæ opus ſit, non antè tamen fieri poteſt, quàm diſtractæ & diuulſę oſſis partes, à medico corrigantur, & in directum conformentur. At, vt illa conformatio fiat, & facta conſeruetur, quatuor medici operantionibus opus eſt, quarum prima, membri extenſio eſt: ſecunda, oſſis fracti partium, in directum coaptatio: tertia, fracturæ coaptatę & cõformatę deligatio: quarta deligati ita membri immobilis & quieta depoſitio: ſeruata in his omnibus ea figuratione & forma, quę & muſculos minimè diſtorqueat, & quàm minimum dolorem afferat. Sed quoniam naturæ beneficio os fractum, à medico in directum coaptatum, ex proprij eius alimenti ſuperfluitate, producto callo, circumalligatur, ideo ea victus ratio ſeruanda eſt, quæ tantum ac talem influere ſanguinem oſſibus præparet, quantus & qualis generando callo ſit oportunus.

Com.in aph.12. lib.1. de articul.
Mẽbri extẽſio.
Cap. 5. lib. 6. meth.
Com.in aph.1. lib.1.de fract.
Celſ. cap.10. lib.8.

Membri fracti extenſio (quæ omnem conformationem præcedere debet) fit, aut miniſtrorum manibus, ſi paruum fuerit membrum: aut laqueis circumpoſitis: aut vna cum iis etiam inſtrumentis, cuiuſmodi nos Hippocrates docuit ἀντίτασιν oſſium facere.

Poſtea verò quàm abundè retracta oſſa fuerint, nec vllus ſuperſit metus, ne ſe in adducendo tan-

gant, tum ambabus manibus, vtrunque membrum comprehendere,& oſſa fracta in directum conſtituere, & ſicubi aliquid paulùm ſubſultet, corrigere (cauendo ne oſſis fracti eminentię refringantur) vinculáque ſenſim remittere, ac muſculis ipſis diductorum in idem commiſſionem permittere,oportet. *Oſſium coaptatio.*

Nec ſolùm os fractum conformaſſe,ſed etiam ita conformatum, prorſus immotum conſiſtere neceſſe eſt,quod fiet deligatione, quæ neque cõpreſſerit,neque grauet,neque laxa ſit, illita prius parte,cerato,molli, vt Hippocrates & Galenus volunt. Vel vt recentiores, oleo roſato tepente, vel myrtino,vel maſtichino,& aliquando maſtiche puluerata aſperſa. *Membri fracti deligatio. Com.in apho.7. lib. 3. de off. medici. Apho.26. lib. 2.de off. medici, & com. in aph. 21.li.1.de fract.*

Tota verò deligatio deinceps fiet,primo faſciis quæ ab Hippocrate ὑποδεσμίδες appellantur,deinde linteis quæ ſplenia dicuntur, tum faſciis extrinſecus circundatis (à Græcis ἐπιδέσμοι dicuntur)deinde ferulis,poſtremo fimbriis,quibus veluti habenis, ferulæ ipſæ continentur. *Com.in aph.12. & 37. lib. 3. de off.med. Tota deligatio, quomodo fiet.*

Sint autem faſciæ tam ὑποδεσμίδες, quàm ἐπιδέσμοι ex linteo, leues, tenues, molles, mundæ,ſine ſuturis,ſine eminentiis,validæ, non aridæ,ſed ſucco conueniente, infucatæ,latę,niſi vbi membra inæqualia ſunt,tum enim anguſtæ vtiliores ſunt, quoniam rugas non contrahunt, & totum membrum quod circundant,contingunt. erunt etiam tam longæ, vt os repoſitum firmiter contineant. *Aph.19. & 26. lib.2.de off.medic. Com.in aph.21. lib 1.de fract. Com.in aph.36. lib.1.de fract. Com.in aph.16. lib.2.& in aph. 4.lib.3. de off. medic.*

ὑποδεσμίδες,quæ in deligando omnium primùm iniiciuntur,quæque & partem affectam immo-

bilem conſeruant, & ab eadem repellendo, inflammationem arcent aut duæ ſunt, aut tres: quarum prima circa fracturam ter voluta ſurſum verſum feretur, & quaſi in cochlea ſerpet: ſecunda ab eadem fractura priori aduerſa deorſum deuoluetur: tertia verò, ab inferiori parte ſurſum, ſupra vtráſque priores conuoluetur. Nonnulli vero, vnica faſcia duobus initiis circundata, totam hanc priorem deligationem efficiunt.

Com. in aph. 30. lib. 1. de fract. Celſ. cap. 10. lib. 8.

Cap. 5. lib. 6. meth.

Hipp. & Galenus aph. 2. 3. & 2. lib. 3. de offic. medici.

Celſ cap. 10. lib. 8.

Ad huius verò prioris deligationis atque etiam fracturæ ſtabilimentum & detentionem, Hippocrates ſubſidium excogitauit, nimirum vt adhiberentur ſplenia cerato humido illita: quæ longitudine æquales deligationi ſint, latitudine trium aut quatuor digitorum, craſſitudine verò triplicia aut quadruplicia. quæ quum ad directionem adhibemus, eorum lõgitudinem ex circuitione, latitudinem autem & craſſitudinem ex defectu eſtimamus.

Com. in aph 33. lib. 1. de fract. Celſ. cap. 10. lib. 8.

ἐπίδεσμοι, id eſt faſciæ quæ extrinſecus ſupra plagulas iniiciuntur duæ omnino æquales ſint neceſſe eſt, quæ vt totũ mẽbrũ ſicut acceperunt conſeruent, ex aduerſo inter ſe ita diſtributionẽ facient, vt altera ab inferiori parte ſurſum, dextrorſum: altera à ſuperiori deorſum, ſiniſtrorſum conuoluatur.

Aph. 41. lib. 1. de fract.

Deinde ferulæ ſuperaccommodãdæ ſunt, quæ fiſſæ circumpoſitæque, oſſa in ſua ſede contineant, ac deligationem etiam ſtabiliant: quarum vſus ante ſeptimum diem apud veteres nullus erat propter inflãmationis metũ. Recẽtiores tamẽ

(nulla inflammatione vrgente) vel primo die ferulis commodè vtuntur.

Sint autem ferulæ, læues, æquales, in extremitatibus ſimæ, ſtupa aut lana inuolutæ, minores hinc inde quam deligatio ſit, & in quam partem fractura inclinat, latiores atque valentiores, non minore quam digiti ſpatio inuicem diſtantes, cauendo ne ſupra articulos, aut oſſium extuberationes imponantur. *Aph.12.lib.3. de off. medic.*

Ferulæ vero, fimbriis ſiue habenis (quæ in tota deligatione poſtremum locum occupant) ad modum laquei nautici volutis, aptiſſimè continentur. Deligatum ad hunc modum membrum, ita collocare oportet, vt figura à dolore maximè aliena, in eius depoſitione ſeruetur, quæ etiam figuræ ratio, in eiuſdē membri fracti retractione, coaptatione, & deligatione diligenter obſeruari debet. *Oribaſius de laqueis.* *Com. in aph.21. lib.1. de off. medic. & in aph.1. lib.1. de fract.* *Cap.5. lib.6. meth.* Membri depoſitio.

Deligationem tertio quoque die (quoad fracturæ ferulæ ſuperaccomodentur) reſoluere iubet Hippocrates, & calida aqua locum affectum perfundere, vt humores in fracta parte contenti qui difflatione egent (ne vel dolorem vel pruritum excitent) exinaniantur. Cum verò ab omnibus ſymptomatis fractura libera fuerit, & ferulas circumuincire, & ex maiori interuallo deligationem ſoluere, atque vniuerſos faſciatū cir,- cunductus laxiores facere licebit. Quando reſoluenda deligatio. *Aph.4. lib.1. de fract.* *Cap.5. lib.6. meth.* Victus ratio ad producendum callum oportuna.

Victus autem ratio ad producendum callum oportuna erit, ſi in principio vſque ad diem decimum (quoniam tum & inflāmatio & alia ſymptomata magis imminent) tenuior & parcior fue *Hipp. & Gal. aph.45. & 46. lib.1 de fract.*

rit. à vino itaque & carne tum abſtinendum eſt, & obſoniis tenellis & mollibus, vt ptiſana, beta, malua, atriplice, blito, cucurbita, piſcibus ſaxatilibus, & ſimilibus alimentis, quæ deſcenſui mediocritatem preſtent, vtendum. Eodem etiam, tempore, & venam aliquando incidere, & per ventrẽ ſuperuacua expellere conueniet. At quo tempore callus gignitur & creſcit, ægri liberalius reficiendi ſunt cibis boni & copioſi ſucci, ex quibus bonus, tenax, & viſcidus humor, ipſius calli materia, gignitur: vt alica, frumento cocto, pedibus hædorum, vitulorum, arietum, & alimẽtis ſimilibus.

Cap. 5. lib. 6. meth.

Iuuant etiam ad calli promotionem & auctionem, medicamenta quæcũque emplaſticam ſubſtantiam habent, & modicè calefaciunt. Contrà verò callos diminuunt, quæcũque digerendi vim habent. At callum productum conſeruãt, ea quæ cruentis vulneribus adhibentur. Callum autem generari indicabũt faſciolæ, ſi nullo oborto vulnere, cruorem referant.

Cap. 5. lib. 6. meth.

Quæ medicamenta callum promouent.

Paul. cap. 110. lib. 6. Gal. com. in aph. 54. lib. 7.

Quod ſi fracturæ vulnus coniunctum fuerit, victus ratio magis exquiſita cõſtituenda eſt, maiórque vulneri quàm oſſi cura agenda. Si ſanguis nimium profunditur, ſiſtẽdus: ſi verò parum fluxerit, mittendus, oſſicula refracta & pungentia eximenda: eminentia autem, ſi retuſa ſint, in ſuas ſedes danda (ídque vel antequam pars inflammatione occupetur, vel eadem iam finita) ſi acuta, ante præcidenda, ſi breuia, ſcalpro limanda: tùm (modo pars tuto intendi poſſit) recõdenda, vel manu, vel volſella. Pars laxior, deliganda &

Celſ. particul. 6. cap. 10. lib. 8.

Aph. 10. lib. 3. de fract.

ſplenia deinde circundanda, aſcię, rita incurua, eáque vino imbuta, vel auſtero, vel nigro, æſtate potiſſimum. Quinetiam medicaméta omnia exſiccantium & cruentorum numero, eſſe debent. Ferulis tardius vtendum. Phlegmonæ (ſi oriatur) remediis lib. I. commemoratis, occurrendum. *Cap. 5. lib. 6. meth.* *Vide aph. 21. & 24. lib. 3. de fract.*

Si contuſio cũ fractura extiterit, pars ne gangræna corripiatur, ſcarificanda, ipſi verò gangrænæ & ſerpenti putredini (ſi iam inuaſerit) conuenienter occurrendum.

Si dolor fracturę coniunctus fuerit, ſoluetur deligatio, & parti dolenti lana, oleum, & acetum, & ſimilia admouebuntur. Pruritus verò (ſi quis exorietur) aquę temperatè calidæ perfuſione, tolletur.

Quæ autem ſint cauſæ fracturæ Caluarię, quæ item differentiæ, quæ eius ſigna, tam diagnoſtica, quàm prognoſtica, & quæ eiuſdẽ particularis curandi ratio: ex Hippocratis libro de vulneribus capitis breuiter diſces, de qua re vide etiam Galenum, Celſum & Paulum. *Cap. 6. lib. 6. meth.* *Cap. 3. & 4. lib. 8.* *Cap. 90. lib. 6.*

LIBRI QVARTI FINIS.

STEPH. GORMELENI Synopſeos Chirurgiæ Lib. V.

De Luxationibus.

Paul. cap. 111. *lib.6.*
Luxatio quid.
Luxationis differentiæ.

QVum luxationes fracturis proximæ ſunt, ſtque de fractis oſsibus dictũ, ſupereſt vt de luxatis aliquid etiam breuiter dicamus. Eſt autem luxatio articuli, è proprio ſinu in alienum prolapſus cum motus voluntarij læſione.

De Luxationis differentiis.

Paul. ibidem.
Hipp. & Gal. aph.51. lib.3. de fractu. & aph.1. lib.4. de articul.
Gal. tamẽ hanc diuiſionem non admittit com. in aph.39. lib.2. de fract.
Celſ. cap.20. lib.8.
Quot modis fiat luxatio.
Com. in aph.2. lib.1. de articul.

LVxationum differẽtiæ duæ ſunt, maioris tantum & minoris ratione differentes, nam oſſis caput articulúſve, vel prorſus è ſuo ſinu excidit, & ἐξάρθρημα dicitur: vel aliquatenus duntaxat emotus eſt, & vſque ad tuberculum è ſinu elapſus, appellatúrque παράρθρημα. Vtrunque genus, modis quatuor maxima ex parte fieri poteſt, nẽpe in partem priorem, vel poſteriorem, vel in alterutrum latus, id eſt in interiorem vel exteriorem: quibus nonnulli ſuperiorem & inferiorem addunt, propterea quod ſex ſunt circũcirca omnem dearticulationem loca.

De cauſis Luxationis.

Cauſæ luxationis.
Ca. 10. de cauſ. morborum.
Cap.98. artis paruæ.
Com in aph. 59 lib.6.
Com. in aph. 55. lib 3. de fract. & in aph. 6. lib. 1. de articul.

LVxantur autem oſſa, vel à violenta tenſione, vel à violento impulſu, vel propter laxata ligamenta: idque facilè, ſi ſinus non altè deſcenderit: vel ſupercilia habuerit retuſa, aut exigua, aut

confracta: ſi copulæ laxiores aut longiores, vel aliç partes quç iuncturam circunſtant humidiores aut imbecilliores fuerint: vel ſi ipſum corpus ſit extenuatum. *Com. in aph. 26. lib. 1. de articulis.*

De Luxationis ſignis.

Signa quibus luxatio & vniuerſa eius natura omnino cognoſcitur, aut diagnoſtica ſunt, aut prognoſtica. Diagnoſtica verò quç & viſu & tactu affectionem oſtendunt, vel omnium luxationum cõmunia ſunt, vel cuiuſque propria. Communia quidem vt ea parte in quam os prorupit, tumor: ea ſinus, à qua receſſit, ita vt pars ſibi diſſimilis fiat, motus voluntarius lædatur, & dolor circa articulum ſentiatur. Propria verò cuiuſque luxationis ſigna ſunt, quibus ſingulę luxationes particulariter deprehenduntur, de quibus vide Hippocratem, & eius fideliſſimum interpretem Celſum.

Signa luxationis. *Cõ. in aph. 1. lib. 1. de off. medici. Celſ. cap. 11. lib. 8. Auicenna cap. 2. & 3. 1. fen. 5. lib. 4.* Communia ſigna. *Paul. cap. 111. lib. 6.* Propria ſigna. *Libris de articulis. Lib. 8*

Prognoſtica autem luxationis ſigna ea ſunt, ex quibus vel periculoſam & curatu difficilem, vel lethalem eſſe luxationem deprehendimus, hæc ex oſſium luxatorum inclinatione, & ex luxationis magnitudine deſumuntur: item ex articulorũ figura, ex ipſius luxationis cauſis, ex morbis luxationi coniunctis, ex ſymptomatis luxationi ſuperuenientibus, ex luxationis tempore, atque ex corporis habitudine.

Vide etiam paulum Æginetem. lib. 6. Prognoſtica.

Aph. 51. lib. 3. de articulis.

Aph. 16. 17. 30. & 31 lib. 4. de articulis.

Paul. cap. 121. lib. 6. & Auicen. cap. 5. tract. 1. fen. 5. lib. 4.

Sũt itaque periculoſæ
- *Luxationes vertebrarũ in partem interiorem, propter oſsium ipſorũ inclinationem, in eam partem, quam & neruorum compreſsio, & grauiſsima alia ſymptomata conſequuntur.*
- *Luxationes cum oſsium denudatione & vlcere, propter conuulſionem, dolorem, gangrænam, vel ſyderationem.*
- *Luxationes partibus principibus vicinæ, quo enim eiuſmodi partibus viciniores fuerint luxationes, eò periculoſiores ſunt.*

Aph. 1. lib. 4. de articulis. Aph. 52. & ſequentibus lib. 3. de fract.

aph. 26. lib. 1. de articulis. Com. in aph. 59. lib. 6. aphoriſ & in aph. 42. li. 4. de articulis.

Aph. 21. lib. 1. de articulis. Paul. cap. 118. lib. 6.

Curantur difficiliùs luxationes
- *Magna.*
- *Articulorũ variorum, diſsimiliũ, inæqualiũ & multiplicium.*
- *Partium carnoſarũ.*
- *Articuli cuius ligamẽta ſunt laxata.*
- *Veteres.*

propter
- *Luxationis magnitudinem.*
- *Articulorum figuram, quo fit vt in cubito quàm in genu luxationes deteriores ſint.*
- *Corporis habitum.*
- *Cauſam internam, id eſt, humorem ligamenta dearticulationis, & vicinas partes laxantem.*
- *Tẽpus (ex accidẽti) quoniã caro in acetabulũ ingreditur, & caput articuli, in loco in quem excidit, callum facit.*

I

De curatione Luxationis.

QVum luxatio in vitioſo partium ſitu poſita ſit, eius ſanatio vitiatę poſiturę emendatio erit: quòd & ſi natura præſtare non poteſt, medicus tamen poterit, extendendo primùm luxatum membrum, quod deinde reponet, conuenienti deligatione circundet, & appoſitè deponet, ne rurſus è ſua ſede articulus prolabatur. Robur partis interim admotis medicamentis, & conuenienti alimento conſeruandum erit, & ſuperuenientia ſymptomata, modis omnibus arcenda. Omnes autem articuli dum adhuc calidi ſunt reponi debent, vel ſaltem quàmcitiſsimè ante inflammationē: quę ſi partem occupauerit, quieſcendum donec finita fuerit. Quod ſi inueterata fuerit luxatio, mollietur fotu remolliente & laxante, ante repoſitionem.

Cap. 10. lib. de diff. morb. *Cap. 98. artis medic.* *Cap. 12. de conſtitu. artis.* *Com. in aph. 19. lib. 1. de offi medic. & com in aph. 1. & 6. lib. 1. de fract.*

Quando luxati articuli ſunt reponendi.

Hipp. aph. 64. lib 4. de articul. *Celſ. cap. 11. lib. 8.*

Extenſio partis luxatæ fit (vt anteà dictum eſt) vel miniſtrorum manibus, vel laqueis, vel vnà cum iis, etiam inſtrumentis. Membri extenſionē ſequetur articuli repoſitio, in qua medicus conſiderabit vndénam articuli ipſius exceſſus inceperit, quomodo progreſſus fuerit, & quo finem fecerit, atque ab exceſſus fine, reditus principiū faciens, inde retro eadem via ad principium vſque luxationis regredietur. Tum cerato reſinato (vt repoſita pars immota conſeruetur & roboretur) & plagulis, & linteis mollibus, non paucis, neque nimis compreſsis (nam conſtrictio magis multitudine linteorum quàm compreſsione

Lib. de fract. ſu.

Com. in aph. 7. lib. 1. de artic. & cap. 12. de conſtitu. artis.

Quomodo reponuntur luxati articuli.

Aph. 7. lib. 4. de articulis. *Com. in aph. 30. li. 3. de off. med.*

Com. in aph. 32 lib. 3. de off. medici. facienda eſt) ita eſt articulus deligãdus, vt quo receſsit pars, inde vrgeant atque propellant faſciæ, & vnde receſsit, laxæ eo loco ſint, vt volunt Hippocrates & Galenus.

Guydo. cap. 1. doct. 2. tract. 5. Recentiores, repoſitam partem affectam, roſaceo, ſtupis, linteis multiplicibus, ouorum albuminibus perfuſis, faſciis poſca madentibus, longitudine & latitudine conuenientibus, & aliquãdo ferulis ex corio vel denſa papyro paratis, roborant, atque retinent: eandem circiter ſeptimũ diem ſoluũt (niſi ſymptoma aliquod vt inflammatio eam antea ſoluere cogeret) & aqua modicè calida fouent, cui deinde emplaſtrum ex polline, puluere rubro, & ouorum albuminibus paratum, admouent: & membrum ipſum, figura decenti, à dolore maximè aliena in quiete ex *Aph. 65. lib. 4. de articulis.* Hippocratis conſilio collocant.

Victu autem tenui in omnibus articulorum repoſitionibus vti (præſertim ſi valentioris articuli caſus fuerit) ad ſeptimum vſque diem, eo-*Apho. 65. lib. 4. de articul.* dem loco iubet Hippocrates. Celſus verò vel tri-*Cap. 11. lib. 8.* duò, vel interdum quinque diebus, à cibo abſtinere conſulit, metu nimirum inflammationis, qua finita pleniore victu vti tutò licebit.

Atque hæc de ſimplici luxatione. At ſi ipſa ſuæ cauſæ internæ coniuncta fuerit, vt humori ligamenta laxanti, repoſitus articulus, circumcirca medicamentis exiccantibus diu comprehendendus eſt, ſi verò dolori coniungatur, dolor in primis erit ſedandus, admota lana ſuccida, ex hydre-*Com. in aph. 42 lib. 4. de artic.* leo modicè calente, & pauco aceti. Si vero inflãmatio ſuperuenerit, ipſi ante omnem molitio-

nem, eſt modis omnibus occurrendum, Febris autem ſi affuerit victus ratione, & ſi opus fuerit venæ ſectione & purgatione eſt oppugnanda. *Com. in aph. 42. lib. 4. de ar.*

Quod ſi vulnus ipſam luxationem comitetur, ante omnia vulneris ratio habenda eſt, medicamentis admotis, non tam glutinantibus & cruentis, quàm lenientibus, ob conuulſionis timorem: quoniam in miſtis & coniunctis affectionibus, curatio quoque miſta, adhibenda eſt. *Cap. 9. lib. 3. meth.* *Com. in aph. 23. lib. 4. de articul.* *Com. in aph. 24. lib. 4. de articul.*

Si vero luxatio & fractura ſimul eandem partem infeſtauerint, iubent recentiores luxationẽ prius ſi fieri poteſt, reponere: deinde fracta oſſa coaptare, quod ſi id minimè fieri poſſit, fracture coaptationem prius moliemur, qua confirmata luxati articuli repoſitionem aggrediemur. *Guydo & Tagautius.*

STEPH. GORMELENI Synopſeos Chirurgiæ Lib. VI.

De oſſium vitio.

VNitatis ſolutio ab eroſione excitata, in carnoſis quidẽ partibus vlcus propriè dicitur, in oſſe verò περνδὼν, id eſt caries, quam præcedere ſolet, ipſius oſſis aſperitas, vel pinguedo, vel abſceſſus (qui ad oſſis corruptionem aliquando etiam ſequitur) has autem oſſis affectiones, eiuſdem nigrities quandoque etiam ſequetur. *Cap. 6. lib. de conſtitu artis.* *Cap. 11. de cauſ. morb.* *Quid περνδὼν.* *Celſ. cap. 2. lib. 8.* *Com. in aph. 79. lib. 6.*

Cariei cauſa humor eſt acris os ipſum erodens, vel in ipſo oſſe putreſcens, vel ad ipſum fluens, ex ſupernatis cancris, fiſtulis, malignis vel vetu- *Ca. 11. de morb. cauſ.* *Cariei cauſa.* *Celſ. cap. 2. li. 8.*

ſtis,& grauibus vlceribus.

Celſ.ibidem. Oſſis nigrities ex febre & dolore deprehenditur,quæ vbi mediocria ſunt, illa altè deſcẽdiſſe non poteſt, ex ſcobe adacta terebra manifeſtior fit. Abſceſſus verò eiuſdem priuſquam corruptionem contrahat,cognoſcetur ex ſanie, ex ſorde prætereatenuiore,non craſſa,nõ vnguinoſa, copioſa, & maiore vi ſcaturiente,quàm pro vlcere.

Ad hæc vlceris oræ magis diſsident, & ægrius coaleſcunt. Caries autem ſpecillo tenui in foramen demiſſo deprehenditur,quod magis minúſve intrando vel in ſummo cariem eſſe, vel altius deſcendiſſe,teſtatur.

Celſ.ibidem. Periculoſa caries eſt in oſſe capitis, in coſtis,in oſſe pectoris periculoſiſsima.

Celſ.ibidem. In cariei autem curatione,ante omnia os nudare vlcere exciſo oportet, & ſi latius eius vitium eſt quàm vlcus fuit,carnem etiam ſubſecare, donec integrũ os,vndique pateat neceſſe erit, tum eodem momento,ſi fieri poteſt,quod pingue eſt nigrum,aſperum,aut carioſũ (vbi vitium in ſummo oſſe eſt) ſemel iterúmve ſatis eſt admoto ferramento vrere, aut impreſſo audacter ſcalpro eradere, donec aliquid cruoris oſtendatur, & os ipſum vel album, vel ſolidum apparuerit. Quod ſi caries altius deſcenderit, os crebris foraminibus,quæ altitudine vitiũ æquent,terebrandum. Tum in ea foramina, demittenda candentia ferramenta ſunt, donec inde ſiccum os ex toto fiat. Simul enim poſt hæc,& reſoluetur ab inferiore oſſe, quodcunque vitiatum eſt, & is ſinus carne replebitur:& humor, aut nullꝰ poſtea eo feretur,

aut mediocris. Vſque ad eo enim, exiccare locum oportet, vt oſsis pars vitiata abſcedat, quod egregiè præſtabunt medicamenta cephalica, de quibus copiosè Galenus lib. 5. de comp. ph. g. *Com. in aph. 45. lib. 5. aph. Cap. 10.*

Oſsium etiam corruptioni & cariei paſtilli Paſionis medentur, quæ vitia, oleo feruente, aquis quas fortes vocant, & mollioribus cauteriis aliquando etiam ſecedunt. Oſſium corruptioni quę medentur. Quæ oſſa exciduntur, & quomodo.

At os quod vitiatum eſt, totum excidere oportet, Exciduntur ferè oſſa, in capite, pectore & membris nunc ſcalpro nunc terebra, nunc modiolo, quorum omnium ratio à Celſo, Galeno & Paulo tradita eſt. *Cap. 3. lib. 8. Cap. 6. lib. 6. meth. Cap. 90. lib. 6.*

FINIS.

ERRATA.

Fol.	Pag.	Verſu	Lege
1	2	12	colore
3	1	4	diagnoſtica
4	2	28	plethoricum.
5	1	16	glandulas.
6	2	21	oxycrato.
8	1	2	ſpatio.
8	2	15	decerptis linteis contorta.
8	2	21	Deterſo
8	2	22	terebinthina.
12	2	28	abſceſſus.
14	2	4	Gariophilato.
20	2	15	lacertæ caput tritum.
20	2	21	latius.
21	2	17	ſpatiis.
22	1	4	neceſſaria.
22	1	7	draconis.
24	1	34	ſiue ſine fluente.
26	1	12	paralyſis
26	1	19	luxatis
36	1	28	moſchata
26	1	32	nigella
27	1	27	vulneris
27	2	2	ſymptomatis
27	2	21	draconis
28	2	1	detergeat.
29	1	29	ecchymoſis
30	2	27	cæſim.
31	1	19	cacochymum.
37	1	18	ἀπερίστατον
38	2	29	cacoëthe
39	1	32	cacochymum.

Reliqua errata, & quæ malè diſtincta ſunt, benenolus lector facilè recognoſcet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE